DE COMPOSITIONE METRICA PROMETHEI FABULAE AESCHYLEAE CAPITA IV.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THEMATIS

DIE XI. M. MARTII A. MDCCCLXXXIV. HORA XII.

IN AULA MINORE

IN PUBLICO DEFENDET SCRIPTOR

THEODORUS HEIDLER

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

GUILELMUS WALLER, CAND. PHIL.

AUGUSTUS VOLKMER, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.

TYPIS SOCIETATIS TYPOGRAPHORUM VRATISLAVIENSIUM.

MDCCCLXXXIV.

AUGUSTO ROSSBACHIO

S.

Praefatio.

Nondum multi sunt anni, cum viri docti de origine Aeschylea Promethei fabulae, qua quidem forma tradita sit, inter se digladiantur. Nam cum antea nemo in hanc rem quaestionem instituisset, novissimis temporibus non defuerunt, quorum acute disputando alii alia invenirent, quae Aeschylo vel maxime repugnarent. Primus artis metricae ratione habita Godofredus Hermannus offendit in crebro usu anapaestorum, qui in primo trimetri pede admissi sunt, cum de partibus melicis earumque mira compositione neque ipse quidquam diceret neque antea quisquam verba fecisset. Longum inde silentium, usque dum, gliscente artis metricae tragicorum Graecorum studio, Rossbachius et Westphalius exorti sunt, metricorum huius aetatis studiorum antesignani, qui arida explicatione et descriptione formarum, quibus singuli ordines et versus comprehenduntur, non contenti primi syntaxin metricam plane neglectam antea et disciplinam, qua stropharum genera et ἤθει et usu distinguuntur, aggressi sunt. Quibus rationibus quanta lux affulserit tragicorum Graecorum scientiae ne ii quidem non intellexerunt, qui nonnulla alia ab illis prolata impugnaverant. Monstrarunt enim illi, qua via eo progredi possimus, ut non solum, quae cuiusque poetae propria sint, cognoscamus, sed etiam in ipsis eiusdem poetae operibus differentias metricas deprehendamus. Neque quae de Promethei compositione metrica senserint, dispergere omiserunt, ut quae angustis et concisis disputationibus expressa nobiscum communicarunt in artis metricae

editionis I. p. XLVIII. Claustris sic reseratis et via ad tragicorum singulorum artem metricam recte diiudicandam munita postea alii, quae in Prometheo a reliquo Aeschyli more aliena invenerant, scriptis mandarunt. R. Foersterus quidem acuta de attractionis usu Aeschyleo dissertatione (Vratislav. 1866) ex pronominis relativi attractione collegit, fabulam manum expertam esse poetae minoris retractantis, quem Euphorionem Aeschyli filium significavit I. Oberdickius, cum studiis Aeschyleis tum scholiis sagacissime investigandis vir clarissimus. Sed praetermittamus, quae res grammaticas respicientes docti de Prometheo adnotaverint, cum ea tantum, quae de metrica huius fabulae compositione usque ad hanc aetatem allata sint, quantum fieri potest, colligere collectaque recensere recensitaque adiectis iis, quae ex nova et accurata quaestione redundaverant, hoc libello complecti nobis proposuerimus. Neque quisquam eo rem perductam putaverit, ut tota de compositione metrica huius fabulae quaestio profligata plane atque excussa videretur, immo permultas res desiderabit, quae partim consulto omissa sunt, partim me fugerunt, aliasque vel brevius vel rectius dictas volet. Quamquam si ea, quae afferam, Augusti Rossbachi, arbitri rerum metricarum illustrissimi, qui in hoc libello conscribendo consilium petenti summa cum benevolentia aderat, comprobationem assecuta erunt, summopere gaudebo.

Poetarum locos commemoravi secundum Dindorfi editionem Aeschyli tragoediarum (Lips. 1880), eiusdem Sophoclearum (Lips. 1850), Naucki Euripidearum (Lips. 1881), Bergki Aristophanis comoediarum (Lips. 1878).

Caput I.

De diverbii senariis.

Hoc capite, quo de trimetris agetur, primum in disputationem vocentur

1. pedum solutiones earumque

a. tribrachi pro iambis positi.

Ea si sequimur, quae Hermannus elem. doctr. metr. p. 123. exponit idque suo iure, quo recentior quaeque sit tragoedia, tanto frequentiorem in ea longarum syllabarum solutionem deprehendi, sine dubio Prometheum in primis Aeschyli fabulis numerabimus. Cum enim in Promethei senariis viginti duo tribrachi nobis occurrant, Rumpelius Philolog. XXV, p. 55. (Die Auflösungen im Trimeter des Aeschylus und Sophocles) in Eum. 19, Agam. 31, Choeph. 32, Suppl. 26, Sept. 37, Pers. 30 enumeravit. Quamvis vero tribrachorum numero ceteris fabulis praeter Eumenides minor, tamen haud raro tales praebet solutiones Prometheus, ut de fabulae aetate opinio praeiudicata magnopere labefactetur. Sed accedamus nunc ad tribrachos ipsos, in quibus illustrandis hunc ego tenebo ordinem, ut singulorum pedum solutiones afferam allatarumque naturam atque structuram cum ceteris Aeschyleis conferam.

In prima sede ter iambum in trisyllabum pedem solutum videmus in vv. 116. ϑεόσυτος, 666. ἄφετον, 817. ἐπαναδίπλαζε, pro quo cur Dindorfius ἐπανδίπλαζε substituerit, nihil est causae, cum et ictus metrici et accentus verbi concordia propterea non suspecta sit, quod tribrachum complures sequuntur syllabae, quibus concentus ille si non tollitur, at mitigatur. Praeterea eiusmodi exempla haud pauca apud tragicos sunt, unum ex Aesch. Sept. 272. πεδιονόμοις commemorasse sufficit. cfr. Rumpel. l. l. p. 57. Eadem excusa-

tione caret eadem difficultas in θεόσυτος, cum in quadrisyllaba hanc licentiam primus dilatarit Sophocles, ut in Philoct. 309. προςέδοσαν, 1420. ἀθάνατον, Oed. Tyr. 1401. ἐπίετε, Antig. 1083. ἀνόσιον. cf. Rump. l. l. p. 56. Neque Euripides utriusque accentus convenientia non utitur. Rumpelius quidem Philol. XXIV., p. 410. laudat ἀδύνατον, ἀθάνατον, διάδοχον, ἀπέδοτο, πιθόμενος. Dolendum est, quod θεόσυτος nusquam apud Aeschylum exstat; quod vero in v. 643. legitur θεόσσυτον littera s geminata, luculenter intellegitur, quam facile illa offensio evitari potuerit.

Alterius iambi vicem bis tribrachi tenent, quorum prior in v. 715. οἰκοῦσι Χάλυβες ita conformatus est, ut arsis expressa sit ultima syllaba vocis praegressae, thesis duabus prioribus proximae. Cui similem conformationem deprehendimus in Pers. 318. καὶ Μᾶγος Ἄραβος. Alter tribrachus est in v. 162. τεοῖσι, δίχα γε Διός; ὁ δ'ἐπικότως ἀεί, cui antistrophice respondet ἐμὰς δὲ φρένας ἐρέθισε (ἠρέθισε M) διάτορος φόβος. Sed in solutionibus tertii et quarti pedis pertractandis ne eosdem versus repetam, iam hic quaestionem de his trimetris melicis perficiam. In v. 181, Hermannus codicis Medicei scripturam ἠρέθισε servavit mutatis ut responsionem restitueret in stropha γε Διὸς in γοῦν ἑνός. Iniuria id quidem; neque enim est, cur ‚elegantissimum trimetrum, quem praebet lectio vulgata' hac coniectura perturbemus, cum de antistrophici versus integritate valde possit dubitari. Tragici enim tertii pedis dactylo utuntur, qui duabus vocibus comprehenditur, sic πολλῶν ὀνομάτων, ἀπλάτου βέλεσι, dactylos vero ex uno vocabulo compositos neque Aeschylus neque Sophocles usurpatos voluerunt. Primi, quae in dactylo conformando regnat, legem violaverunt Euripides in fabulis novissimis et tragici minores, ut Bacch. 278. ὃς δ'ἦλθεν ἐπὶ τἀντίπαλον, Ion. 60. οἳ γῆν ἔχουσ' Εὐβοΐδα, Iph. Aul. 846. ἄμφω γὰρ οὐ ψευδόμεθα. cf. Rump. Philol. XXV, p. 58, ubi omnes loci, qui huc spectant, collecti et editi sunt. Quae cum ita sint, eo labor ut iis assentiar, qui pro ἠρέθισε scripserunt ἐρέθισε, etsi augmentum temporale quod dicitur perraro omittitur. Tribracho sic orto, qui et ipse rarissimam

formam offert, cum in tertio pede ita componatur, ut prima syllaba brevis aut per se stet aut finis sit vocis, quae antecedit, Aeschylea exempla similia eaque melica patrocinantur, ut Choeph. 42. τοιάνδε χάριν ἀχάριτον ἀπότροπον κακῶν. De tertia horum versuum solutione non est, cur longius disputemus, cum nihil habeat offensionis. Id etiam de his versibus melicis in universum addere volo, sequi eos legem Aeschyleam, qua tres tribrachi in altero loco tertio quarto collocantur, cum Sophocles tribus tribrachis tres priores sedes concesserit. cf. Rump. Philol. XXV. p. 63.

Iam pervenimus ad tertium senarii pedem, qui octies tribracho continetur pro iambo posito: vv. 2. οἶμον ἄβροτον, 351. τε Κιλικίων, 720. ἔνθα ποταμός, 746. γε πέλαγος, 793. Γοργόνεια πεδία, 851. κελαινὸν Ἔπαφον, 993. δὲ νιφάδι. Cui numero accedit unus eius, quem supra tractavimus, versus. Nihil interest inter hos et ceteros Aeschyleos tribrachos, neque particulis τέ, γέ, δέ, quibus arses concluduntur, offendimur, cum arctissime cum verbis proximis coniunctae quasi pro illorum finibus habendae sint.

In quarto loco quater iambi puri solutio admissa est: vv. 76. θεῖνε διατόρους, 213. τοὺς ὑπερέχοντας, 273. μάθητε διά, 809. ἔνθα ποταμός. Quod in v. 273. praepositione διά expressa est thesis, mirum non est, cum eundem animadvertamus usum in Sept. 534. στείχει δ' ἴουλος ἄρτι διὰ παρηΐδων. Exempla omnia adnotavit Szelinski in program. gymn., Hohenstein. 1868, p. 7. Unum autem exemplum propterea fusius est mihi tractandum, quod ab Aeschyli arte prorsus abhorret, intellego v. 213, cuius scriptura in codicibus haec est:

χρείη, δόλῳ δὲ τοὺς ὑπερέχοντας κρατεῖν.

Offensioni erat versus viris doctis, quod tribrachus ortus sit ex tribus prioribus syllabis vocis plus tres syllabas comprehendentis, quae insolens tribrachi collocatio neque Aeschyleo usu neque Sophocleo defenditur. Itaque non dubitarunt verbum traditum ὑπερέχοντας alii aliter mutare excepto solo Kirchhoffio, qui in editione sua vulgatam servavit idque suo iure. Sententia enim codicum memoria oblata tam clara,

tam perspicua eorumque quae narrantur nexui ita bene respondet, ut non sit, cur difficultatis metricae removendae causa, si est difficultas in Prometheo, coniecturis allatis sanam memoriam perturbemus in ea fabula, quae saepissime ab illa antiquioris Aeschyli tragoediae diligentia discedat. De coniecturis ipsis vide Hermann. adnott. ad hunc locum factas, Szelinski l. l. p. 25, Hamacheri de anapaesto in trimetris Aeschyli quaestionem, August. Trever., p. 18. Subiectus igitur est oculis scriptura codicum servata versus, qui et apud Aeschylum et apud Sophoclem unicus exstat. Euripides enim, in cuius fabulis omnino maior cernitur neglegentia, primus tali tribrachorum usui indulsit, ut in Iph. Taur. 1371. ὥστε ξυνάπτειν καὶ συναποκαμεῖν μέλη, Bacch. 1275. τίς οὖν ἐν οἴκοις παῖς ἐγένετο σῷ πόσει. Plura exempla composuit Christ. art. metr. Graecorum et Romanorum, p. 343, qui tamen Porsoni coniecturam ὑπερσχόντας recipi iubet.

Restat, ut de quinti pedis solutione dicamus, quae una est v. 52. οὔκουν ἐπείξει τῷδε δεσμὰ περιβαλεῖν. Qualis pes, cuius thesis ex praepositione constat, num ab Aeschylo sit profectus, magnopere potest dubitari, cum exempla huic similia apud Aeschylum et Sophoclem nulla sint. Neque enim huc referri licet Pers. 501. στρατὸς περᾷ κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον, qui versus alias ob difficultates doctis iure corruptus videatur. Recte igitur Rumpelius Philol. XXV, p. 57. de Aeschylo et Sophocle dicit: Dass endlich im 5. Fusse, wie bei Euripides, vorzugsweise Präpositionen den zweiten Theil bilden, lässt sich nicht nachweisen, vielmehr finden sich diese eher in den anderen Füssen, namentlich bei Sophokles. De Euripide iudicium iam anno ante aperuerat idem Philol. XXIV, p. 411, ubi sescenta exempla huic Prometheo similia enumeravit, ut Bacch. 322. ἐγὼ μὲν οὖν καὶ Κάδμος, ὃν σὺ διαγελᾷς.

b. De dactylis, qui ex spondeis solutis creantur.

In primo pede χορεῖος ἄλογος ἰαμβοειδής qui dicitur semel admissus est tribus prioribus nominis proprii syllabis formatus in v. 730. Κιμμερικόν, qui dactylus, quamvis a poetis, ut versus initium numerose procedat, diligenter vitetur, tamen

apud Aeschylum assumptis fragmentorum exemplis quater invenitur. cfr. Enger. Mus. Rhen. XI., p. 446. C. F. Müller. de pedibus solutis in dialogorum senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, Gotting. 1866, p. 5.

Ex larga dactylorum copia, qui in tertium locum substituuntur, primum eos circumspiciamus, qui ita facti sunt, ut arsis constet ex ultima vocabuli antecedentis syllaba, cum thesis incidat in duas priores proximi. Arsin natura longam habent vv. 210. πολλῶν ὀνομάτων, 239. οἴκτῳ προθέμενος, 371. ἀπλάτου βέλεσι, 464. μεγίστων διάδοχοι, 487. αὐτοῖς ἐνοδίους, 709. ἀφίξει νομάδας, 717. ὑβριστὴν ποταμόν, 729. αὐταῖς στενοπόροις, 762. αὐτοῦ κενοφρόνων, 788. Ἰοῖ πολύδονον, 847. αὐτῷ στόματι. Accedunt tres loci, quibus thesis soluta comprehenditur initio nominis proprii: 18. ὀρθοβούλου Θέμιδος, 369. καλλικάρπου Σικελίας, 735. ἥξεις Ἀσιάδ', pro quo dactylum remoturi Elmsleius et Blomfieldius restituerunt Ἀσίδ', sed sine necessitate mea quidem sententia. Nam cum forma Ἀσιάς metro efflagitante in Pers. 549. πρόπασα μὲν στένει γαῖ' Ἀσιὰς ἐκκενουμένα suo loco sit, non est, cur dissyllabam formam, ne tertii pedis dactylus hac conformatione Aeschylo gratissimus oriatur, praeferamus. Itaque et in Pers. 249. ὦ γῆς ἁπάσης Ἀσιάδος πολίσματα et in Prometheo codicum auctoritatem intactam voluerim. Sophocles hoc adiectivo nusquam utitur, cum apud Euripidem saepissime inveniatur, ut eodem dactylo in Ion. 1356. πᾶσαν δ'ἐπελθὼν Ἀσιάδ'. Cetera exempla vide in Steph. thes. vol. I, 2, p. 2168. Quattuor commemorandi sunt dactyli, quorum arses positione longae factae sunt: 869. Ἄργος βασιλικόν, 54. πρόχειρα ψέλια, 1009. δὲ στόμιον, 1027. θεῶν τις διάδοχος. Coniectura dactylum inferre studebat Brunckius, quod in 766. pro οὐ γὰρ ῥητὸν αὐδᾶσθαι, ut pleonasmus tolleretur, commendabat οὐ γὰρ θεμιτόν. Sed pleonasmum nullum esse exemplis ad hunc locum allatis demonstravit Hermannus. Noviesdecies igitur dactylum in Prometheo usurpatum iuvenimus, ita tamen semper adhibitum, ut nulla ex parte Aeschyleo generi dicendi repugnaret.

c. De anapaestis pro iambis substitutis.

Sed aggrediamur nunc ad eos locos enumerandos, quibus receptus est anapaestus, qui usus in Prometheo tam latus factus est, ut fabulam ad Euripidem vel maxime accedere negari vix possit. Eaque, quae prorsus probo, in fronte disputationis ponere mihi liceat, quae explicuit Hamacherus l. l. p. 4, inesse huic fabulae versus, quos rite traditos nemo mortalium vexare tentasset, nisi falsa de anapaesto praeoccupatus opinione, quamquam, ut ex iis, quae sequuntur, elucebit, non semper meam voluntatem ad illius auctoritatem aggregabo.

In primo pede terdecies admissus est anapaestus, quo ex numero unus nomen proprium complectitur v. 805. Ἀριμασπόν, cum in ceteris tragoediis fere semper hanc legem servaverit Aeschylus, ut anapaestum pro iambo nisi in nomine proprio sibi non indulgeret. Inde factum est, ut numerus anapaestorum, qui in nomine proprio locum habent, facile eos superaret, qui aliis nominibus formati sunt, cum in Prometheo ex contrario, quae antea exceptio fuerat, regula fieret. Iam haec consideratio luculenter demonstrat, quantopere tragoedia delapsa sit ad Euripidis liberiorem metrorum usum, quem antiquior tragoedia nulla necessitate sibi non concesserat. Reliqui anapaesti inveniuntur in vv. 6. et (64.) ἀδαμαντίνων et (ἀδαμαντίνου), 89. et (368.) ποταμῶν et (ποταμοί), 366. et (722.) κορυφαῖς et (κορυφάς), 721. κροτάφων, 353. ἑκατογκάρανον, 796. μονόδοντες, 994. χθονίοις. Vitatum videmus, qui augmenti accessione exsistit, anapaestum, quae augmenti in primo pede neglectio, nisi scribis tribuenda est, quam suspicionem cur inferamus non est, Aeschyleae arti prorsus est accommodata. De hac re cf. Hermann. elem. doctr. metr. p. 120. Huc accedunt duo anapaesti, qui ex verbi aut nominis compositione cum praepositione nati sunt: v. 849. ἐπαφῶν, 811. καταβασμόν, cuiusmodi anapaesti nisi in Philocteta Sophoclis et apud Euripidem nusquam nobis occurrunt, nam ἀποχρημάτοισι, quod legitur in Choeph. 275. suo iure Dindorfius interpolatori tribuisse mihi videtur. Sic ἀπόλωλα in Philocteta ter anapaestum implet in initio ver-

suum 742, 745, 923; ἀπάμησον v. 749, ἀνακλαίομαι 939. cf. Rumpel. Philol. XXV, p. 61. XXIV, p. 416, ubi collecta sunt exempla Euripidea, quae omnia sunt viginti duo.

Exacta anapaestorum in initio versuum admissorum enumeratione perpauca sum additurus. Cum enim Aeschylus in iis vocabulis, quae anapaestis semel mensus erat, repetendis semper mensuram anapaesticam retinuerit, quin etiam nonnullis, quibus etiam in systematis anapaesticis haud raro usus est, hanc ipsam formam quasi propriam tribuerit, ut δέκατος, ὕπατος, ἱερός, in Prometheo idem vocabulum ita non semper eodem metro repetitur, ut alio loco aliter usurpetur. Ut ποταμός tribracho comprehenditur in verss. 717, 720, 809; potuisset igitur poeta apta substantivi collocatione anapaestum, si voluisset, vitare, quod cum noluerit, liquet, quam non astrictus sit lege Aeschylea, qua in iis tantum vocabulis recipiebatur anapaestus, a quibus removeri nulla ratione poterat. Quod idem iudicium quadrat in adiectivum χθόνιος, quod anapaestico metro noluit usurpare Aeschylus in Choeph. 1. Ἑρμῆ χθόνιε, 124. ἄρηξον, Ἑρμῆ χθόνιε, cum in hac fabula sine necessitate χθονίοις in trimetri initio collocatum sit.

In ceterorum pedum respiciendis anapaestis imprimis illud, quod supra ex Hamacheri opusculo repetitum laudavi, ante oculos versabitur, non esse omnes codicibus oblatos anapaestos scribarum neglegentiae tribuendos. Adversatur enim contrariae opinioni, quod haec scribarum neglegentia mirum in modum saepius statuenda est in Prometheo, cum in ceteris fabulis fere nulla sit. Neque video, quae causa fuerit, cur docti anapaestos tollere studerent, praesertim cum ex lato eorum in primo pede usu satis superque intellegeretur, quantopere auctor ab Aeschylea diligentia discessisset. Qua de re eos versus, quibus sententia et clara et perspicua exprimitur, ob metricas dubitationes mutari noluerim. Sed percenseamus nunc cautione adhibita singulos anapaestos. In v. 264. omnes libri Hermanno teste exhibent: τοὺς κακῶς πράσσοντας· ἐγώ, excepto codice Lipsiensi saeculi XV. ab Hermanno Lips. 1. dicto, cuius scriptura est: τοὺς κακῶς πράσσοντα. Anapaesto offensus Stanleius emendavit τὸν κακῶς

πράσσοντ'· ἐγώ. Assentior, quippe quae emendatio etiam sententia postuletur, nam semet ipsum τὸν κακῶς πράσσοντα vult intellegi Prometheus, ut ex tota verborum perpetuitate potest colligi. Nequaquam vero eodem modo probaverim, quod in v. 472. πέπονθας ἀεικὲς πῆμ'· ἀποσφαλεὶς φρενῶν docti restituerunt αἰκές. Neque enim quidquam ad eiusmodi corrigendi rationem excusandam attulerunt, ne unum quidem exemplum ex reliquis tragoediis Aeschyleis in comparationem vocare poterant, neque ex Sophocleis, ubi partibus melicis insertum ἀεικής metri causa correptum sit. Accedit quod in Prometheo, ubi praeter hunc locum forma ἀεικής ter usurpata est, dissyllaba non exstat (cf. vv. 97, 525, 1042), quin trisyllaba in ipso trimetro (v. 525.) nobis occurrit, etsi longa syllaba praecedente ad anapaestum conformandum nihil valet. Quo magis mirum est, quod hoc loco verborum ordo non ita est institutus, ut anapaestus deleretur. Sed huius difficultatis tollendae causa dissyllabam formam propterea restituere non licet, quod ceteri loci solam trisyllabam offerunt. Denique trisyllabo pede iniucunda caesura media, qua contra legem rhythmicam ὀκτωκαιδεκάσημον μέγεθος in duas aequales partes dividitur, aliquid mitigatur. His de causis scriptura tradita me quidem iudice tenenda est. Quod idem iudico contra Porsonum, qui versui 246. καὶ μὴν φίλοις ἐλεεινὸς εἰσορᾶν ἐγώ omnium codicum auctoritate posthabita ἐλεινός pro ἐλεεινός intulit, quod poeta ab Homero, qui sola forma ἐλεεινός utitur, petitum eodem metro adhibuit.

In quarta trimetri sede codices bis anapaesticos pedes exhibent, primum in v. 354. Τυφῶνα θοῦρον, πᾶσιν ὃς ἀντέστη θεοῖς. Pro πᾶσιν ὃς ἀντέστη anapaesti delendi gratia alii alia proposuerunt, quas coniecturas omnes codicum memoria sententiarum perspicuitate et elegantia facile superat. Itaque ab emendandi conatu abstinere praestat, ut fecit Kirchhoffius, qui ne una quidem ex coniecturarum multitudine in adnotationibus allata vulgatam servavit. Alter anapaestus admissus est v. 840. σαφῶς ἐπίστασ', Ἰόνιος κεκλήσεται, quem cur viri docti corrigendo sepelire noluerint, magnopere sane miror, solus enim Weckleinius aliam vocis Ἰόνιος prosodiam

commendat, quod in edit. p. 102. ad versum haec adnotat: eine unrichtige Etymologie. In Ἰόνιος ist hier, wie Eur. Phoen. 208, die erste Silbe kurz. Tertium igitur pedem tribrachyn esse vult, cui sententiae repugnant omnes loci, quibus nomen proprium Ἰώ commemoratur, cuius ι semper longa metro aptata est, de qua re vide lexicon Aeschyl. Dindorf. s. h. v. Reiecta Weckleini sententia utpote irrita restat, ut attente anapaestum, quem deprehendimus, circumspiciamus, cum morem Euripideum indicare videatur. Nam cum et apud Aeschylum et apud Sophoclem ea lex regnet, ut tribrachus positione anapaestus factus nisi in prima trimetri sede nulla collocetur, hic tali anapaesto quartus iambus cessit. Illorum vero cautionem, ne praeter primum senarii pedem tribrachi consonantium concursu pro anapaestis usurparentur, primus ignoravit Euripides, ut in Troad. 1126. Νεοπτόλεμος, καινάς, Cycl. 440. ἔχομεν καταφαγεῖν, ib. 566. οἰνοχόος τε. Omnes hujusmodi anapaestos Euripideos accurate composuit Rumpel. Philol. XXIV, p. 415.

Quintus denique trimetri pes duos anapaestos continet, quorum prior est in v. 945, quem codex Med. sic tradit: τὸν ἐξαμαρτόντ' εἰς θεοὺς τὸν ἡμέροις, exempla recentiora habent τὸν ἐφημέροις, quae scriptura sola est sana. Primum enim ἡμέροις corruptum esse ex ἐφημέροις ex scholiastae interpretatione τοῖς ἀνθρώποις cognoscitur. Sed ut omittamus scholiastae testimonium iam totius rei sententia obstat ἡμέροις. Suo sane loco esset ἡμέροις, si idem sonaret, quod ἡμερίοις, id quod ab Hermanno e compositorum terminationibus ἐφημέριος ἐφήμερος, ἔκτοπιος ἔκτοπος, ἐγχώριος ἔγχωρος, παννύχιος πάννυχος de simplicibus iniuria colligitur. Vide Hermann. adnotatt. ad hunc locum. De ἡμέροις, quo mansueti intelleguntur, non est cur dicam, cum Hermannus hanc significationem sub adiectivo non subiecerit. Quid ceteri docti furore anapaestico acti? Delerunt articulum, quo exstincto et dignitas verborum et gravitas Iovis nuntii si non tollitur, at minuitur. Articulum enim eici vetant et quae antecedunt et τὸν πυρὸς κλέπτην, quae sequuntur, quibus Promethei mores et quae in deos peccaverit

summa vi gravissimaque oratione Aeschylo vere digna quam brevissime describuntur. Neque Hermannus Blomfieldi corrigendi studium, qui primus articulum exsulere voluit, probavit his verbis: At hoc (de omisso articulo sermo est) languet alienumque est a tota loci conformatione, nec si ita scripsisset poeta, addidisset τὸν πυρὸς κλέπτην λέγω, sed dixisset καὶ τὸ πῦρ κλέψαντα. cf. adnotatt. ad hunc versum. Itaque cum coniecturis non solum pedem odiosum, sed una sententiarum gravitatem et granditatem emigrare videamus, in anapaesto acquieverim. Restat, ut v. 680. tractemus, qui est in codicibus hic: ἀπροςδόκητος δ' αὐτὸν αἰφνίδιος μόρος. Pro αἰφνίδιος, quod doctis ob eundem anapaestum suspicionem moverat, placuit Elmsleio ἀφνίδιος, cui mutationi prorsus non favere usum et poetarum et solutae orationis suo iure opposuit Hermannus; Porsonus usque eo progreditur, ut unquam forma ἀφνίδιος Atticos usos esse neget. Neque est, cur Hermanni αἰφνίδια accipiamus, cum ἀπροςδόκητος et αἰφνίδιος optime coniuncta sint, ut apud Thucyd. II, 61. δουλοῖ γὰρ φρόνημα τὸ αἰφνίδιον καὶ ἀπροςδόκητον καὶ τὸ πλείστῳ παραλόγῳ συμβαῖνον. Reliquas coniecturas ne multus sim enumerare nolo, cum versus sententia elegans doctis morbo laborare videatur, qui nullus est. Quod idem sensisse conicio Kirchhoffium, qui codicum memoriam retinuit.

Nemini vero probatum iri confido, quod Hamacherus l. l. nulla necessitate coniecturis illatis anapaestos restituit. Ratio enim critica, quae unicuique vocabulo, quod anapaesticam mensuram patitur, omnibus quae cogitari possunt artibus adhibitis hanc formam obtrudat, omni veritatis specie destituta est. Itaque de his studiis, quibus etiam Promethei loci nonnulli temptati sunt, tacere praestat. Enumeravimus igitur anapaestos undeviginti, quorum tredecim erant in prima sede, unus in altera, unus in tertia, bini in quarta et quinta, cui numero parem praebent Supplices Euripidis. Rumpel. Philol. XXIV, p. 413.

2. **De versibus ex meris iambis compositis**, qui in Aeschyli, Sophoclis, Euripidis tragoediis inveniuntur, accurate egit Rumpel. Philol. XXV, p. 471. De Prometheo quidem

hanc statuit rationem, ut in 804 trimetros assumptis melicis 48 cadant, quorum arses omnes sunt breves. Eandem condicionem ineunt Supplices Aeschyli, Oedipus Coloneus Sophoclis, Medea Euripidis. Itaque ex integrorum numero iamborum de aetate et auctore fabulae conici nequit.

3. De caesura.

Omnium caesurarum frequentissimae et principales sunt penthemimeres i. e. in medio tertio pede, et hephthemimeres i. e. in medio quarto pede, quibus versus non in plane compares, sed quod multo praestat, in fere aequabiles et sibi respondentes partes distribuitur. In Prometheo quidem 530 senarii penthemimere, 180 hephthemimere distinguuntur, quae ratio, quamquam de perpaucis versibus, utra caesura sit statuenda, dubitari potest, constat. Quam si comparo cum Persarum trimetris, quorum 275 habent penthemimeren, 120 hephthemimeren (cfr. Preussi de senarii Graeci caesuris, Regiomont. 1858, p. 15.), facere non possum quin etiam in caesurarum usu Euripidem in exemplum assumptum esse fatear. Nam cum Aeschylus et Sophocles, ne eiusdem numeri perpetua repetitio molesta fieret, ordinum distinctiones eo variaverint, quod saepius hephthemimeren admittebant, Euripides neglecta hac varietate semiseptenariae usum minuit. Quod idem animadvertimus in Prometheo, ubi quartus quisque versus hephthemimere disiunctus reperitur.

De ceteris senariis, qui partim tertiaria prima i. e. post primam dipodiam orta, partim media dividuntur, partim ita sunt conformati, ut omnis caesura neglecta videatur, quod in tam brevi versu, si raro fit, offensione caret, nolo explicatius disserere, cum Preussi et imprimis Schmidti (De caesura media in Graecorum trimetro iambico, Bonn. 1865) dissertationibus luculenter demonstratum sit, iis nihil offerri, quod ab Aeschylo sit abiudicandum.

4. His fuse lateque de senariorum structura expositis perpauca additurus sum de rebus quibusdam in Prometheo frequentatis, in ceteris Aeschyli fabulis aut parce aut nunquam admissis. Primum commemoratum velim studium illud, quo sextus senarii pes a ceteris interpunctione

segregatus cum proximo versu una perpetuitate coniungitur. In hanc rem considerationem intendit primus E. Martinus, de responsionibus diverbii apud Aeschylum, Berol. 1862, p. 10. Quod vero p. 71. eandem senariorum coniunctionem de Supplicibus negat, non assentior; fugerunt enim eum vv. 769, ubi post punctum sequuntur:

φιλεῖ
ὠδῖνα τίκτειν νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ,

et 772.

σὺ δὲ
φρονεῖν μὲν ὡς ταρβοῦσα μάμελεῖν θεῶν.

Ceterarum fabularum exempla sunt Pers. 486, ubi relativo οὗ sequentis senarii sententia initur. Quod idem cadit in voculas τί γὰρ in Agam. 601, Choeph. 703, τί δ'οὐ Agam. 556, πόθεν Choeph. 256, ἅπερ Eum. 131, ὅτι Eum. 98. Videmus igitur hac in re Aeschylum praeivisse, sed quod antiquior tragoedia parcius habebat, in eo creber fuit Promethei auctor, ut sermo eius simillimus sit Sophocleo, qui non solum exilibus voculis, ut ἵνα, ὅτι, ὅπως aliis in versus exitu positis scatet, sed usque eo progreditur, ut ultimo pede a ceteris disiuncto elisionem permittat, qua ἐπισυναλοιφή quae dicitur figura oriatur. In exemplis laudandis Martini commentationem supplebo. Sunt haec. Sextum pedem complexae ad sequentem versum sententia trahuntur voculae σὺ δὲ in vv. 43, 961, 1033, τί σοι 83, τί που 743, τί χρὴ 659, τίς 502, τίνα 381, τίνες 491, ὅ τι 683, ὅτῳ 470, 989, ἃ χρὴ 485. Coniunctionum in fine senariorum collocatarum frequentissima est ὅτι in vv. 104, 259, 323, 328, 377, 951, ἵνα 61, adverbialiter 725, 793, 830, ἐπεί 384, ὅπως 463, ἀτάρ 341.

Accedit alia causa a Martino non allata, quae nos de sermone Sophocleo commoneat, quod exeunte versu articulus a substantivo, quod est infinitivus, seiungitur, cuius rei exemplum exstat unum in Eum. 914.

οὐκ ἀνέξομαι τὸ μὴ οὐ
τὴν δ' ἀστύνικον ἐν βροτοῖς τιμᾶν πόλιν,

cum apud Sophoclem haud rara sint, ut Trach. 90, Oed. tyr. 1232, Antig. 27, 544. In Prometheo duo offendi:

918. οὐδὲν γὰρ αὐτῷ ταῦτ' ἐπαρκέσει τὸ μὴ οὐ
πεσεῖν ἀτίμως πτώματ' οὐκ ἀνασχετά.

865. μίαν δὲ παίδων ἵμερος· θέλξει τὸ μὴ
κτεῖναι σύνευνον,

quae quidem exempla, quamquam per se minime tantum valent, ut de fabulae origine Aeschylea scrupulum iniciant, iis examinanda proposita velim, qui Prometheum in antiquissimis Aeschyli tragoediis numerant.

In eandem de Promethei aetate sententiam recte ducitur Martinus interiectionibus et metris lyricis inter trimetros Orestiae et Promethei mixtis (cfr. l. l. p. 12.), quae in Persis, Supplicibus, Septem desiderantur. Prometheus quidem interiectiones habet in v. 742. ἰώ μοί μοι, ἒ ἕ, quibus Ius responsum continetur. Alia eiusmodi exempla memoriae inferre studebat Dindorfius, qui inserto λεύσσω versum 298. sic expedivit:

ἔα
τί χρῆμα λεύσσω; καὶ σὺ δὴ κτλ.

et qui in v. 980. Mercurium Promethei ὤμοι repetivisse voluerunt Schneiderus, Lachmannus, Meinekius, alii, ne trimeter contra legem antiquae tragoediae ab Aeschylo et a Sophocle in Antigona diligenter servatam inter duas personas divideretur. Neque enim huic loco, qui unus ex Aeschylo ἀντιλαβαῖς, quae a veteribus nuncupantur, adnumerandus est, patrocinatur Sept. 217, ubi interpolatoris veteris fraudem manifestam esse nemo non concedat. cf. Wecklein. studia Aeschyl. p. 46. Dindorf. praef. ed. V. p. LVI. Sed non erat, cur scriptura per se sana ὤμοι repetito augeretur, immo orationis vis hac repetitione imminuitur, id quod viderunt Weilius adnot. ad hunc locum edita, O. Ribbeckius commentat., quae inscribitur Qua Aeschylus arte in Prometheo fabula diverbia composuerit, Bern. 1859, p. 11. Servata igitur lectione vulgata denuo comprobatur, quod crebro iam diximus, Promethei metricam compositionem ad Sophoclis et Euripidis artem proxime

accedere. De versibus inter complures colloquentes divisis apud Sophoclem cfr. Weckleiu. stud. p. 46. et eiusdem opusculum, quod inscripsit: Ueber symmetrische Anordnung bei Sophokles, Festgruss der philolog. Gesellschaft zu Würzburg an die XXVI. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner, Würzburg 1868, p. 140, n. 9. Similiter in Oedipode Coloneo 820. versus inter Oedipum et Creontem distributus est:

ΟΙ. ὤμοι. ΚΡ. τάχ' ἕξεις μᾶλλον οἰμώζειν τάδε.

Neque praetermittendum videtur, quod et ipsum ad nostram quaestionem pertinet, primum a Martino l. l. p. 24, 25, indicatum, quod poeta et in Orestia et in Prometheo chorum in sermonis duarum personarum communionem vocavit, cum in ceteris fabulis ita diverbia instituisset, ut aut actores inter se colloquerentur tacente choro aut altero actore tacente chorus cum altero ageret. In Prometheo quidem chorus per Oceani cum Prometheo colloquium silet, cum Prometheum cum Io fata futura communicantem interpellet. Eodem modo inde a v. 1036. Prometheum monet, ut abiecta αὐθαδίᾳ recipiat τὴν σοφὴν εὐβουλίαν.

Restat, ut in fine huius, quae erat de trimetris, quaestionis verba faciamus de numero senariorum choro tributorum, quam in rem inquisivit R. Engelmannus in Philol. XXVII, a. 1868, p. 736. Perscrutantibus enim, quae ratio intercedat in Aeschyli fabulis inter chori senarios eiusque partes melicas, occurrit, senariorum choricorum usum, qui in antiquioribus fabulis in angustum deductus erat, in Prometheo tam amplum factum esse, ut dupla tantummodo pars carminibus choricis relinqueretur. Itaque recte Engelmannus l. l. haec adnotavit: Da nun in beiden Punkten Prometheus an derselben Stelle erscheint, einmal als das Stück, in welchem der Chor den kleinsten Raum einnimmt, und zweitens als das, in welchem der Chor am wenigsten lyrischer Maasse sich bedient, so ist es auch wohl erlaubt, daraus Schlüsse für die Zeit der Abfassung zu ziehen, um so mehr, als das Verhältniss auch durch andere Versabtheilungen im Wesentlichen nicht verändert werden kann.

Offendimus igitur permulta in Promethei trimetris a reliquis Aeschyli fabulis aliena, ut nunc a Sophocle nunc ab Euripide exempla similia repeterentur necesse esset, quibus quae praesidio Aeschyleo destituta erant defenderentur. Sed haec hactenus.

Caput II.
De anapaesticis systematis.

Pervenimus nunc ad versus anapaesticos illustrandos, qui neque forma ac structura a ceteris fabulis Aeschyleis ulla ex parte distant et argumentis tragicorum illo principe vel dignissimi sunt. Quae sententia cum aliis comprobatur, tum quibus fabula concluditur, quae verborum magnificentia rerumque gravitate ita excellunt, ut poetam fulgentem et tonantem videre videamur. Attamen fuit, qui locos nonnullos aut corruptos aut ab Aeschylo abiudicandos offendisse sese putaret R. Klotzius, qui in dissertat. p. 20. (De numero anapaestico quaestiones metricae, Lips. 1869) tres dimetros attulit, in quibus caesuram legitimam, quae est in secunda thesi, neglectam opinabatur. Leguntur in fragm. 202. ed. Herm. 192. Dind. λίμναν παντοτρόφον Αἰθιόπων, Prom. 172. καί μ'οὔτι μελιγλώσσοις πειθοῦς, 293. γνώσει δὲ τάδ' ὡς ἔτυμ', οὐδὲ μάτην. Sed de alterius loci integritate quam nihil esset causae cur dubitaremus, explicuit Hermannus elem. doctr. metr. p. 374, quod negavit in legitimo systemate dimetrum vitiosum esse censendum, si verbum compositum ita collocatum offerretur, ut commissura in secundam thesin vel in brevem syllabam, quae post eam esset, incideret, cum eiusmodi vocabulum quasi pro duobus esset. Quod idem iudicium referendum est in primum locum, quem Lobeckius ita, ut scriberet πάντων τρόφον corrigere studebat. In tertio denique loco cur Klotzius post ὡς caesuram esse noluerit, non video. Itaque cum anapaestorum conformatio ab Aeschyleo usu

omnino non abhorreat, in rationem eorum antisystematicam nunc quaerere liceat. Atque primum quidem perlustremus, qui intexti sunt anapaesti Promethei ἀπὸ σκηνῆς cantui inde a vv. 92—100 et 119—127, qui quamquam ad summum dolorem exprimendum animique agitationem maximam adhibentur, legitimis systematis copulati sunt. Eodem modo pro liberioribus formis legitimi substituuntur in Eurip. Med. 96—130, quibus Medeae et nutricis alterni cantus lugubres continentur, et in Hipp. 176—266, quos locos collegerunt Rossbachius et Westphalius art. metr. II² p. 435. Sed ut ad rationem antistrophicam redeamus, eam his Promethei hypermetris vindicant omnes, qui illam a Westphalio Weilio Schmidtio aliis ab Aristoxeno repetitam legem comprobant, ut systemata anapaestica non solum pedum numero paria, sed etiam colorum numero aequata sibi respondeant. Ceteri vero, qui eam legem rectam esse negant, libere atque fuse ad nullam antisystematicae compositionis normam redactos esse huius monodiae anapaestos putant. Quibus quam non assentiar, ex eo consequitur, quod ne in responsione illorum quidem, quae in colorum aequabilitate cernitur, acquiesco, cum quantuscunque sum ad iudicandum, in scriptura tradita detexisse mihi videar, quibus pristinae responsionis et accuratae i. e. in pari etiam pedum numero positae suspicio augeatur. Quam ad rem comprobandam his argumentis utor. Primum commemoratos velim vv. 92. ἴδεσθέ μ'οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός et 119. ὁρᾶτε δεσμώτην με δύσποτμον θεόν, quibus systematum exordiis mirus quidam et verborum et sententiarum concentus offertur, cum utrumque hypermetrum illud ‚ecce deus', quod cum nostro christianorum ‚ecce homo' comparari potest, in fronte positum contineat. Pari modo eadem est systematum clausula, dico paroemiacorum formam metricam, quamquam non ignoro, in anapaesticis quidem systematis nihil interesse similesne sint forma pedes inter sese respondentes necne. Sic igitur finibus constitutis aliam maiore vi et auctoritate addimus causam, quae quam opinionem accuratae responsionis a poeta factae, non nostra cogitatione fictae habemus haud parum commendet. Intel-

lego enim interiectiones φεῦ φεῦ, quae in utroque systemate interpunctione antecedente inveniuntur, ut, quae interiectiones antegrediuntur, quin olim inter se et pedum et colorum numero pares fuerint partes, itemque quae subsequuntur non dubitem. Neque enim recte Hermannus posthabita optimorum codicum memoria in v. 98. pro φεῦ φεῦ deteriorum αἰαῖ recepit. Ut ab iis partibus, quae interiectionibus concluduntur, incipiam, altera est ἐννεάμετρος πεντάκωλος, altera ὀκτάμετρος τεσσαράκωλος. Corruit igitur sententia nostra, nisi monometrum exterminatum esse demonstrare contiugit, quod nihil difficultatis habere videtur. Mirabitur enim certe, si quis vv. 119, 120. accurate examinaverit, cur poeta bis articulum adiecerit, cum in proximo versu sine articulo dicta sint ὁρᾶτέ με δύσποτμον θεόν. Quae tamen dubitatio statim nulla fit, si verbum quoddam excidisse putamus, ex quo accusativi cum articulo coniuncti pendebant. Quod quale fuerit verbum facile conici potest in comparationem vocatis versibus 92, 93, ubi Prometheus post ἴδεσθε aliud eadem videndi significatione verbum usurpaverat. Videndi igitur verbum aliquod omissum est, sed quod quidem fuerit nos posse divinare sperare nolumus, fortasse δέρχθητε vel ἐσίδεσθε (cf. v. 141). Quibus expositis liceat nobis in medium proferre utriusque systematis partem priorem nostra ratione conformatam:

v. 92. ἴδεσθέ μ'οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός.
δέρχθηθ' οἵαις αἰκίαισιν
διακναιόμενος τὸν μυριετῆ
χρόνον ἀθλεύσω· τοιόνδ' ὁ νέος
ταγὸς μακάρων ἐξηῦρ' ἐπ' ἐμοὶ
δεσμὸν ἀεικῆ.

119. ὁρᾶτε δεσμώτην με δύσποτμον θεὸν
[δέρχθηθ' οἷον] τὸν Διὸς ἐχθρόν,
τὸν πᾶσι θεοῖς δι' ἀπεχθείας
ἐλθόνθ' ὁπόσοι τὴν Διὸς αὐλὴν
εἰσοιχνεῦσιν, διὰ τὴν λίαν
φιλότητα βροτῶν.

Quam pulcherrime δεσμὸς ἀεικής opponatur φιλότητι βροτῶν nemo non videt. Restat, ut quae partem alteram utriusque

systematis continent consideremus. Etiam harum partium impar colorum numerus responsioni repugnare videtur. Attamen in v. 99. post στενάχω totum dimetrum exsulere demonstrari posse confido. Iure enim quaerere videmur, quid causae fuerit, cur Prometheus eo desperationis veniret, ut exclamaret:

πῇ ποτε μόχθων
χρὴ τέρματα τῶνδ' ἐπιτεῖλαι.

De duritia enim Iovis eiusque odio implacabili antea sermo non fuerat. Neque conici potest, egisse poetam, ut spectatores causam omissam cogitatione ipsi sibi supplerent. Cui sententiae vel maxime obstat sermo huius fabulae, qui non solum fuse lateque omnia exponit, sed etiam exposita ad satietatem usque iterum iterumque repetit. Quae coniectura nostra, qua excidisse augurati sumus dimetrum, quo causa illius exclamationis et desperationis expressa fuerit, probabilis fit collata chori antistropho inde a vv. 183—185:

πᾶ ποτε τῶνδε πόνων
χρή σε τέρμα κέλσαντ' ἐσιδεῖν· ἀκίχητα γὰρ
ἤθεα καὶ κέαρ
ἀπαράμυθον ἔχει Κρόνου παῖς.

Talem si suppleverimus sententiam, qualem addidit chorus, duram simul enuntiatorum tollemus coniunctionem, quam iam Weckleinius sensit, quod adnotabat: στενάχω πῇ gleichsam „seufze bei der Ueberlegung, wie". His praemissis, quibus nostram systematis emendandi rationem explanavimus, strophae et antistrophi partem alteram ex adverso ponamus uncinis inclusis iis, quae dimetro expressa fuisse verisimile est, quamquam ut ea ipsa verba a poeta profecta esse existimem multum abest:

v. 98. φεῦ φεῦ, τὸ παρὸν τό τ'ἐπερχόμενον
πῆμα στενάχω, [τραχὺν γὰρ ἔχει
φρένα Ζεὺς πρύτανις,] πῇ ποτε μόχθων
χρὴ τέρματα τῶνδ' ἐπιτεῖλαι.

124. φεῦ φεῦ, τί ποτ' αὖ κινάθισμα κλύω.
πέλας οἰωνῶν; αἰθὴρ δ'ἐλαφραῖς

πτερύγων ῥιπαῖς ὑποσυρίζει.
πᾶν μοι φοβερὸν τὸ προσέρπον.

Habemus igitur restitutam in utroque systemate περίοδον ἀναπαιστικὴν ἑπτακαιδεκάμετρον ἐννεάκωλον. Denique re ipsa ratio antistrophica postulatur. Est enim stropha cum antistropho quasi carmen per se monodiae intextum, cum ante utrumque systema perinde advocet Prometheus spectatores mala contemplaturos et modos flebiles audituros, ac si dicat: advenite omnes et ἐάσατέ με μονῳδῆσαι. cfr. Arist. Thesm. 1077.

Pervenimus nunc ad parodi systemata anapaestica, quae inter partes melicas ita sunt interposita, ut hae a choro cantatae illis Promethei interpellentur. Quod vero Hermannus suspicatus est, quae chori carminibus insererentur, in antistrophica fuisse coacta, de his anapaestis dubitari nequit, praesertim cum duo priora systemata colorum numero tantopere aequata sint, ut antistrophicorum speciem etiam obtrudere videantur. Offert enim codicis Medicei memoria hanc rationem:

X. α. Πρ. 7½. α'. 7.

Videmus igitur novissimum systema proximo uno hemistichio brevius esse, quod tamen detrimentum neglegentia ortum facile resarciri potest, si alteri systemati caput abscisum reddimus, quod erat αἰαῖ αἰαῖ, quae interiectiones verborum similium vicinitate ἄϊστοῖ et εἰ γὰρ oblituerunt. Neque Weilio assentior, qui orationis nitorem ita restituisse sibi visus est, ut in priore systemate παῖδες et Ὠκεανοῦ, quae interpretamenta duxit, deleret. Pleonasmum enim nullum esse demonstravit Blomfieldius in edit. alt. p. 13. Neque emendationes accipio, quibus Hermannus, Dindorfius alii versui 156. opitulati sunt, quas ne multus sim non afferam. Est enim scriptura Medicei haec: ὡς μήποτε θεὸς μήτε τις ἄλλος. Tenentibus, quae chorus stropha altera Prometheo respondet, sponte ea quae is antea ploraverat, nascuntur. Negat enim chorus, quemquam deorum tam crudelem esse, ut Promethei malis gaudeat praeter Iovem. Iupiter igitur solus malevolus ceteris diis opponitur. Quo ex chori responso colligo Pro-

metheum timuisse, ne non solum Iovis, sed etiam ceterorum deorum gaudio atque irrisione luderetur; dixisse igitur Prometheum censeo:

ὡς μήτ' αὐτὸς μήτε τις ἄλλος.

Num vero de hominum ludibrio cogitaverit, id quod nonnullis placuit, dubito, cum nusquam illis crimini dederit ingratos animos, quamquam ne haec quidem sententia verbis τις ἄλλος, quibus et dii praeter Iovem et homines comprehendi possunt, excluditur. Hanc quaestionem, etsi non necessario cum metris coniuncta est, nolui praetermittere.

Colorum, quae antistrophum alteram circumdant, numeri in codicibus sunt:

X. β. Πρ. 11. β'. $6^1/_2$.

Nulla igitur aequalitas apparet. Attamen nunquam non fuerunt, qui eam a poeta profectam fuisse iudicarent, quorum sententiam meam facere prorsus non dubito. Nam is, qui ultimi systematis exordium obiter tantum perspexerit, locum esse lacunosum concedet, cum quonam ταύτῃ sit referendum non liqueat. Hermannus, quem secutus est Weilius, rettulit ὅταν ταύτῃ ῥαισθῇ ad ea, quae Prometheus v. 169. dixerat, sed quam ipsi huic interpretationi non sint fisi, libere aperiunt. Fortasse iis, quae desiderantur, de ἀρᾷ Κρόνου sermo erat, de qua loquitur Prometheus v. 910, id quod a sententiarum cohaerentia magnam habet commendationem. Sed haec omnia incerta sunt. Demonstrasse sufficit sententiae, qua olim systemata colorum numero pari inter se respondisse coniecimus, nihil obstare.

Contra quos chorus de curru descendens cum Oceano alata bestia ad rupem advehenti recitat anapaestos antistrophico circuitu carere animadvertimus. Duo enim complexi systemata ita sunt distributi, ut alterum chori (277—284) sit περίοδος ἀναπαιστικὴ τρισκαιδεκάμετρος, alterum Oceani π. α. κζ'μετρος. Eodem modo antistrophis non comprehensi sunt, qui duobus hypermetris compositi Io ingredientem et scaenam relinquentem prosequuntur anapaesti.

Artificiosam vero summaque diligentia elaboratam invenimus systematum copulationem in fabulae exitu, quae ab

omnibus, qua par est laude, elata nuperrime tractata est a R. Nieberdingio dissertatione, quae inscribitur de anapaestorum apud Aeschylum et Sophoclem ratione antisystematica, 1867, p. 23. Sunt enim quinque hypermetra hoc artificio disposita, ut quattuor systemata παλινῳδικά et Promethei et Mercuri quasi umbilicum unum chori cingant. Quae responsio est e genere eo, quod μεσῳδικόν nuncupatur.

Prom.	Mercur.	chor.	Mercur.	Prom.
14.	9.	8.	9.	13½.

Quam huius loci compositionem antistrophicam, quae sponte nascitur, ut negaret quamquam multum aberat, tamen Hermannus haesitabat, quod novissimum systema primo, cui antistrophica ratione opponitur, monometro esset brevius, accuratamque responsionem restituturus post verba στείχει φανερῶς (v. 1090.) inseruit ὦ Θέμις, ὦ Γῆ. Sit hoc ingeniose exquisitum additamentum, certum habere non ausim. Neque est, cur addamus, ubi sententiarum connexu nihil desideratur. Longe enim praestat, factum putare, quod in anapaesticis systematis fieri posse sat probabiliter demonstrarunt Westphalius Weilius alii, ut monometer eandem haberet vim rhythmicam, atque ex altera parte dimeter.

Caput III.
De partibus melicis.

Iamque eo deducta est quaestio, ut hoc capite de melicis fabulae partibus sit agendum. Qua ex disputatione, quae ad compositionem metricam recte iudicandam vel plurimum valere videtur, quam maxime elucebit, quantopere Promethei τέχνη μετρική cum ceteris Aeschyli tragoediis discrepet. Neque enim solum videbimus tales numeros civitate donatos, qui in antiquiore tragoedia quasi peregrinantur, sed

ne eos quidem, quorum usus apud Aeschylum vel frequentissimus est, ita adhibitos atque conformatos, ut speciem originis Aeschyleae prae se ferrent. In ipsa quam nunc aggredimur explicatione hunc ego tenebo ordinem, ut primum dicam de iis strophis, quae Aeschyleis metris sunt conditae, deinde de iis, quae ex numeris huius fabulae solius propriis constant.

I. Initium sumatur ab iis, quarum versus per numeros generis diplasii, quod vocant metrici, incedunt primumque disceptetur

1. de stropha trochaica, v. 415., quam si sine nomine auctoris tradita esset, quemquam ab Aeschylo profectam putaturum fuisse nego. Constat enim ex tribus tetrapodiis trochaicis, quibus clausula immiscetur Priapeus. Sed qua forma sunt atque natura singulae tetrapodiae quoque modo cum ceteris Aeschyli carminibus trochaicis comparatae diiudicandae sunt! Primum nobis id mirum obicitur, quod tetrapodiae pedem ultimum habent ὁλόκληρον s. ἀκατάληκτον, cum in ceterarum tragoediarum ordinibus trochaicis nusquam fere intermiserit Aeschylus, quin σεμνότητος ἕνεκεν τῆς μακροτέρας καταλήξεως in apothesi catalexin adhiberet. Ex Aeschyli enim fabulis duae tantummodo tetrapodiae ἀκατάληκτοι laudari possunt, Sept. 352. ξυμβολεῖ φέρων φέροντι, et Eum. 496. πολλὰ δ'ἔτυμα παιδότρωτα; tertium locum, qui secundum codicum memoriam huc referendus est, Agam. 1024., vereor addere, cum corruptus videatur. Sed nusquam istiusmodi versus una perpetuitate repetiti stropham complectuntur, quod hic factum animadvertimus. Accedit alia res eaque haud minore momento, quod per totam stropham theseos et arseos continuis vicibus decurrunt tetrapodiae, quo facto illa desideratur μεταβολὴ κατὰ θέσιν ῥυθμοποιΐας, qua usus antiquus ῥυθμοποιός auditores efficacissime rapiebat omnesque animi humani motuum gradus percurrebat, desiderantur χρόνοι τρίσημοι graves, tardi, ponderosi, quibus mira quaedam numerorum varietas et ad μονοτονίαν vitandam apta nascebatur. Neque quisquam Graecorum poetarum tantopere frequentavit metra inconnexa, quantopere Aeschylus, praestan-

tissimus effector et magister φιλόρρυθμος, qui primus inter eos numerandus est, de quibus Plut. mus. 21.: ἐτίμων γοῦν (scil. οἱ παλαιοί) τὴν ῥυθμικὴν ποικιλίαν, καὶ τὰ περὶ τὰς κρουματικὰς διαλέκτους τότε ποικιλώτερα ἦν. Miramur igitur, cur quod in ceteris fabulis fecit Aeschylus quodque, quo erat ingenio et moribus, debebat facere, in hac una omiserit. Quare eo labor, ut has tetrapodias τρόπου τραγικοῦ esse negem, cum proxime accedant forma atque structura ad poetarum lyricorum et comoediae usum, qui dimetros trochaicos catalexi et in fine et intra ordinem carentes cum catalecticis in hypermetra coniunctos habet. Deinde alia designanda est differentia inter hanc et ceteras Aeschyli strophas trochaico metro conscriptas. Solet enim Aeschylus in strophis trochaicis componendis complures ordines in unum versum cogere, qua ordinum coniunctione granditate severi atque magnifici idoneique ad vehementissimos animi motus exprimendos efficiuntur versus. Quod enim ordines in thesin exeuntes verbis inter ordines distractis observataque synaphia in versus coalescunt, χρόνοι τρίσημοι cumulantur rhythmusque ipse fit et tardior et gravior. Contra in hac, de qua agitur, stropha singuli ordines suo numero absolvuntur, neque enim ordines numerorum perpetuitate inter se nectuntur, sed unusquisque ordo fit versus. Quo more versus ex compluribus ordinibus factos omittendi sine dubio auctor Promethei secutus est Euripidem, qui Aeschylea μεγαλοπρεπείᾳ, quae longis versibus continebatur, relicta in omnibus, quae supersunt fabulis duobus tantum locis singulos ordines versus esse noluit. cfr. Rossb.-Westph. art. metr. II², p. 470.

Causae, cur ordines continuato numero non cohaereant, positae mihi videntur esse et in argumento strophae et in arte musica. Nam cum Aeschyli strophis trochaicis μεγαλοπρέπεια et δίαρμα ψυχῆς ἀνδρῶδες exprimantur, hac stropha tenui oratione commemorantur nationes, quae Promethei fatum lugent. Quid igitur mirum, quod tam levia argumenta et tenuia facile breves numerorum terminationes admittebant. Accedit alia causa, quae musica est intellegenda. Ut enim omnino diverbia partes melicas facile in Prometheo superant,

sic etiam periodi musicae, quibus quae exprimenda erant magna, severa, grandia continuavit et evolvit Aeschylus, nullae sunt. Eadem argumenti exilitas effecisse videtur, ut nostra stropha etiam ambitu reliquis Aeschyleis sit minor. Vide de hac re Rossb.-Westph. art. metr. II² p. 471. Vidimus igitur hanc stropham neque ἤϑει neque ordinum electione neque magnitudine Aeschyleam originem indicare. Sola res, quae Aeschyleo mori non obstat, est clausula, quae Priapeo continetur. In Choeph. 603. quidem, ut unum exemplum afferam, sub finem strophae bis ponitur. De stropha trochaica satis dictum est. Deinceps, ut erat propositum, in quaestionem vocentur

2. iambicae. Sunt vv. 159—166=178—185 et epodus 901—906. Sed priusquam de metris agimus, non alienum esse arbitror perpauca de epodo praemittere. Fuerunt enim, qui eam in stropham et antistrophum dispertire studerent Elmsleius, Lachmannus, Hermannus alii. Sed cum Hermannus errasse sese ipse fateatur, non est, cur in hac re multi simus. Explicat sic in elem. doctr. metr. p. 730: ‚Quo in genere (scil. in epodis) diligenter cavendum est, ne haec res (scil. metrorum similitudo) fraudem faciat, quaeque epodi sunt, in antistrophica cogantur. Id quod et mihi et aliis accidisse memini. Tantoque proclivior via ad errorem est, quod ubique prius de antistrophicis quam de epodo vel alio responsionis experti carmine cogitandum est. Exempla epodorum, quas facile quis pro antistrophicis habere possit, inveniuntur in Prometheo v. 425. v. 900'. Deinde ut epodi formam metricam cognoscamus, missa faciamus opus est, quae viri docti coniecturis et verborum traiectionibus ei intulerunt. Itaque non supervacaneum videtur eam exhibere ita, ut est, in Mediceo tradita:

ἐμοὶ δ'ὅτι μὲν ὁμαλὸς ὁ γάμος
ἄφοβος οὐ δέδια, μηδὲ κρεισσόνων
ϑεῶν ἔρως ἄφυκτον ὄμμα προσδράκοι με.
ἀπόλεμος ὅδε γ'ὁ πόλεμος, ἄπορα πόριμος,
οὐδ' ἔχω τίς ἂν γενοίμαν.
τὰν Διὸς γὰρ οὐχ ὁρῶ
μῆτιν ὅπα φύγοιμ' ἄν.

⏑ – ⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑
⏑ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –
⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑
⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑
– ⏑ – ⏑ – ⏑ – –
– ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– ⏑⏑ – ⏑ – –

His de epodi forma et memoria praepositis, etiam stropha v. 159. in disputationis communionem assumpta in singulos versus inquiramus idque primum in iambicos, tum in eos, qui trochaico aut logaoedico numero illis admiscentur. Jambicorum versuum frequentissimus est dimeter, qui in epodo semel usurpatur, quater in stropha vv. 159. 160. 161. 163. Assentior enim Weckleinio, qui versus antistrophici probata sana scriptura δέδια γὰρ ἀμφὶ σαῖς τύχαις strophici mendum tolli iubet. Ahrensi vero coniecturam ἀκνάμπετον, quam in Philol. XXIII, 6. edidit, quamvis ingeniosam et Hesychi glossa ἀκανθόν· ἄγναμπτον commendatam certam habere vereor, hoc tamen effecit vir doctus, ut loci emendationi viam praemunivisse censendus sit. Quod theses complures solutas deprehendimus, more Aeschyleo defenditur; sed excusatione destituta est ultimae theseos solutio, quae ne tum quidem amovebitur, cum codicum ordine relicto trimetrum restituerimus. Ultimae enim theseos solutiones apud Euripidem solum eaeque rarissimae sunt, ut Troad. 1312. Πρίαμε Πρίαμε, σὺ μὲν ὀλόμενος, et ib. v. 557. Solam igitur excusationem is habebit, qui illuc confugerit, ut versum corruptum statuerit, id quod equidem non satis exploratum habeo. Praeter dimetros iambicos trimeter nobis occurrit in v. 162., epod. 3., pentapodia in epod. 2. et 4., quae ultima est hypercatalecta. Qui versus si singuli per se, non ex compositione totius strophae, de qua postea agetur, penduntur, Aeschylo fere in omnibus strophis iambicis probantur. Sequitur ut ceterorum versuum pervestigatio fiat, qui cum iambicis consociati stropham comprehendunt. Ut ab epodo, quae simplicissimas formas offert, exordiar, nihil inest ei, quod usum Aeschyleum patronum non habeat. Neque enim versus trochaicos, neque Pherecrateum aspernatur, quod uno

exemplo enucleasse sufficit. In Pers. 1045. quidem stropha sic finitur: οἶ μάλα καὶ τόδ' ἀλγῶ. Non idem sentiendum est de strophae parte altera, quae inde a. v. 164. incipit. Nam cum Aeschylus in stropharum fine tripodias dactylicas habeat, tamen eiusmodi epodicon, quale hoc est, frustra quaeres. Adnumerandum enim est iis strophis Euripidi gratissimis, quarum metra Rossbachius et Westphalius aptissime episyntheta tragica nominaverunt. Inducitur epodicon tripodia dactylica catalectica, quam a Pindaro repetitam versum facere solet Euripides, ut in Troad. 1093—1099, Electr. 482., Alcest. 114., aliis locis, quos enumerare omnes longum est. Sequuntur tripodia trochaica, tripodia dactylica bis repetita, denique Pherecrateus, qui omnes versus Euripideis episynthetis τρόπου διασταλτικοῦ simillimi sunt. Latiorem horum metrorum explicationem nunc differo in epodum v. 425. paulo infra tractandum. His de singulis versibus expositis relinquitur, ut de eorum in stropham coniunctione verba faciamus. Jam supra vidimus, singulos versus iambicos per se perlustratos Aeschylo non esse abiudicandos. Sed quale est aedificium, quod illa materia exstruitur? quis est artifex? Aeschylum haud facile dixerim. Quod enim versus singulis ordinibus continentur ad Aeschyleam originem defendendam afferri nequit, cum haec lex numerorum natura postulata non solum in Aeschylea, sed etiam Euripidea et omnino in tragoedia servetur. Quo maiores scrupuli restant, quod et in stropha et in epodo omnes versus, qua coeperunt sublatione et positione, ad finem usque progrediuntur. Neque quemquam mihi crimini daturum spero, quod iudico, auctorem Promethei in strophis trochaicis et iambicis condendis id ipsum egisse mihi videri, ut illos χρόνους τρισήμους, qui μεγαλοπρεπείᾳ τραγικῇ quam efficacissime inserviebant, sibi molestissimos e mundo tolleret. Ubi tandem est artifex ille, qui ex formis simplicibus iterum iterumque novas procreavit, qua varietate multiplici admirabilique omnia, quae eadem re et Sophocles et Euripides praestiterunt, facile superaret. Quam ipsam varietatem cognoscendi studium perdiu doctissimorum virorum ingenia frustra exercuit, ut libidinem potius ac

temeritatem quam consilium legemque sese putarent deprehendere, dum Rossbachi et Westphali sagacitati contigit, ut leges per se simplicissimas artis Aeschyleae detegerent. Si autem omnes iambicas strophas ad harum, de quibus sermo est, exemplum finxisset Aeschylus, Dindorfius ex stropha, quae est in Agam. 367., non expiscatus esset versum antispasticum, iambicum, iambicocreticum, iambicotrochaicum, ischiorrhogicum, iambicotrochaicum cum antispasto, quae omnia ex catalexi non intellecta nata sunt. Aeschylum igitur neutra stropha redolere videtur. Sed haec hactenus. Transimus nunc in enumerandis metris, quae Prometheo cum ceteris fabulis Aeschyleis communia sunt,

3. **ad versus dochmiacos,** quibus conscripta sunt monodia Ius vv. 566—573, 574—588=593—608 et chori carmen 687—695. Quibus de versibus dochmiacis eorumque in strophas coniunctione fere nihil afferri poterit, quod ab Aeschyleo more alienum censendum sit. Aliud sane iudicium habebimus, si de loco et usu dochmiorum quaestionem inierimus, quos ab Aeschylo sic usurpatos scimus, ut aut a singulis choreutis aut inter choreutas et histriones divisi canerentur. Cuius rei tractationem nunc mihi assumo, cum quarto huius libelli capite, quo de fabulae oeconomia agetur, hanc rem ad exitum adducere mihi proposuerim. Incipiatur igitur a forma et specie dochmiorum. Κριτικοί qui vocantur i. e. quorum arses syllabis irrationabilibus purae sunt, hasce formas offerunt:

a. ⏑ – – ⏑ –. b. ⏑ ⏑⏑ – ⏑ –. c. ⏑ – ⏑⏑⏑ –.
d. ⏑ ⏑⏑ – ⏑ ⏑⏑.

Ad formam, quam littera a designavi, facti sunt vv. 588. κλύεις φθέγμα τᾶς, 688. οὔ | ποτ' ηὔχουν ξένους, 689. μολεῖσθαι λόγους, ad formam alteram 570. ὁ δὲ πορεύεται | δόλιον, ὄμμ' ἔχων, 574. ὑπὸ δὲ κηρόπλαστος ὀτοβεῖ δόναξ, 575. ἰὼ ἰὼ πόποι, 582. πυρί με φλέξον, ἢ χθονὶ κάλυψον, ἢ et δάκεσι δὸς βοράν, ad formam c. v. 573. τε νῆστιν ἀνὰ τάν, forma d duo exstant exempla in vv. 577. τί ποτέ μ' ὦ Κρόνιε, 117. ἵκετο τερμόνιον Quae formae omnes ab Aeschyleo usu nulla re abhorrent.

Dochmii πρωτάλογοι, quorum prima arsis irrationabilis est, his formis apparent:

– – – ⏑ –   – ⏑ ⏑ – ⏑ –

Priusquam vero exemplum unum, quod priorem sequitur figuram, commemoro, versuum 691. et 692. scriptura tradita paucis collustretur oportet, quae haec est:

πήματα, λύματα, δείματ' ἀμφήκει κέντρῳ ψύχειν ψυχὰν ἐμάν.

Numeros hos insolitos, quos recte dixit Hermannus, alii aliter emendare studebant, ita tamen, ut non satisfacerent, quare non est, cur emendationes singulae exscriberentur. Unius Hermanni correctio hic commemoretur, cui de re ipsa assentior, etsi de medela, quam adhibet, non ausim accedere. Vult enim δείματα exsulere, cum nihil sit nisi corrupta ex λύματα vel diversa pro illo scriptura. Quod vero iudicium non in δείματα, sed in λύματα cadere demonstrari posse confido Chorus enim ea conqueritur, quae Io querendo praeiverat. Quae δεῖμα deplorat in v. 580:

οἰστρηλάτῳ δὲ δείματι δειλαίαν
παράκοπον ὧδε τείρεις;

Eodem modo πήματα, pro quo vocabulis πημοσύναι et πημοναί utitur, dixerat v. 579: τί ποτε ταῖσδ' ἐνέζευξας εὑρὼν ἁμαρτοῦσαν ἐν πημοσύναις,
et 586.

οὐδ' ἔχω μαθεῖν ὅπα
πημονὰς ἀλύξω.

Λύματα in Ius ore non fuerant. Hoc igitur omittere praestat, quo facto trimeter dochmiacus sponte nascitur:

πήματα δείματ' ἀμφ | ήκει κέντρῳ ψύ | χειν ψυχὰν ἐμάν.
– ⏑ ⏑ – ⏑ –   – – – – –   – – – ⏑ –

His praemissis ad dochmiorum formas perlustrandas redeo. Videmus dochmium ψύ | χειν ψυχὰν ἐμάν forma esse, quam supra primam posui. Huius modi exemplum apud Aeschylum unum est in Eum. 781. ἐν γᾷ τᾷδε, φεῦ, frequentiora apud Sophoclem, frequentissima apud Euripidem enumerantur. Plura exempla altera forma continentur in vv. 573. ἐξ ἐνέρων περῶν, 575. ὑπνοδόταν νόμον, 576. τηλέπλανοι πλάναι, cui respondet antistrophice criticus, qui unus in Prometheo doch-

mius accurata responsione caret, 579. πημοσύναις, ἐή, 689. εἰς ἀκοὰν ἐμάν, 691., quem nostra sententia restituimus dochmium πήματα δείματ' ἀμφ-. Haec altera dochmii forma Aeschylo gratissima est, ut per totas strophas regnet. cfr. Sept. 692—694.

Dochmius μεσάλογος hac specie ⏑ ⏑ ⏑ – – – usurpatus est in v. 573. παραλίαν ψάμμαν neque Aeschylus eum in reliquis fabulis non habet. Unus tantummodo dochmius, qui est ἀμφάλογος, offensionem movet v. 692. ἀμφ | ήκει κέντρῳ φό | χειν. Sed ne quis opprobrio mihi faciat, quasi mea ipsius emendatione hunc dochmium intulerim, etiam servata codicum scriptura haec dochmii forma non mutatur. Talibus vero dochmiis, quibus Sophocles rarissime idque in novissimis fabulis, ut Philoct. 510. ἔχθεις Ἀτρείδας, utitur, primus latiorem usum concessit Euripides, ut in Androm. 860. ἢ δούλα δούλας, Bacch. 1160. Βάκχαι Καδμεῖαι, aliis locis, quos afferre omnes alienum est. Id tamen additum velim, plerosque dochmios ἀμφαλόγους Euripidem admisisse in carminibus, quae vocantur ἀπὸ σκηνῆς. Dochmius hypercatalectus bis invenitur in vv. 572. ἀλλ' ἐμὲ τὰν τάλαιναν, 580. δὲ δείματι δειλαίαν. Quod ad caesuram attinet, legitima maximeque usitata ratio est, ut cum quovis dochmio etiam vocabulum finiatur exceptis duobus locis, ubi vocabulum inter binos dochmios distrahitur, in v. 574. ὑπὸ δὲ κηρόπλα | στος ὀτοβεῖ δόναξ, cui in antistropho accurate respondet πόθεν ἐμοῦ σὺ πατρὸς ὄνομ' ἀπύεις; et 691. πήματα δείματ' ἀμφ | ήκει κέντρῳ φό | χειν ψυχὰν ἐμάν, quo in trimetro optio nobis datur, utrum eum in tres monometros dividamus an duas eius partes statuamus, ut altera sit ποὺς ἑκκαιδεκάσημος ἐν λόγῳ ἴσῳ, altera monometrum complectatur. Sed de dochmiis haec hactenus. Quid ceteri ordines, qui cum illis strophas efficiunt? Nam cum dochmii ex pedibus generis διπλασίου et ἡμιολίου constent, utriusque generis ordines dochmiis intermisceri consentaneum est. Itaque cretici, ut istos in fronte ponam, crebro usu nobilitantur ita ut dochmios modo antecedant, modo postponantur, modo medii dochmiis circumdentur. Sic unus creticus cum proximo dochmio connexus legitur in v. 688.

οὔποτ' οὔποτ' ηὔχουν ξένους, cum duobus dochmiis in v. 575. ἀχέτας ὑπνοδόταν νόμον· ἰὼ ἰὼ πόποι, admissa simul ante ἰώ syllaba ancipiti, cui tamen ab interiectionibus parata est excusatio. Duos creticos dochmius subsequitur in v. 595. τὰν ταλαίπωρον ὧδ' ἔτυμα προςθροεῖς. Contra dochmius cretico praemittitur in v. 117. ἵκετο τερμόνιον ἐπὶ πάγον, duobus creticis in 588. κλύεις φθέγμα τᾶς βούκερω παρθένου; Exempla, quae inter dochmios medios habent creticos, sunt duo, in v. 582. enim πυρί με φλέξον, ἢ χθονὶ κάλυψον, ἢ ποντίοις δάκεσι δὸς βοράν creticus ποντίοις dochmium finalem πεφρατέλευτος praecedit. Pari modo in v. 577. quinque cretici dochmiis cinguntur τί ποτέ μ'ὦ Κρόνιε παῖ, τί ποτε ταῖσδ' ἐνέζευξας εὑρὼν ἁμαρτοῦσαν ἐν πημοσύναις, ἐή. Geminatus dochmius in principio totius strophae positus est v. 687. ἔα ἔα, ἄπεχε, φεῦ. Neque arsi incipientes pedes generis ἡμιολίου non adhibentur, ut tetrapodia bacchiaca v. 115. τίς ἀχώ, τίς ὀδμὰ προσέπτα μ'ἀφεγγής. Sequitur, ut generis diplasii ordinum, qui dochmiis admixti sunt, indagatio ineatur. Tripodia iambica dochmiorum ordini media interiecta apparet in 573.:

ἐξ ἐνέρων περῶν κυναγετεῖ πλανᾷ
τε νῆστιν ἀνὰ τὰν παραλίαν ψάμμαν.

Diiambus cum dochmio hypercatalecto copulatus exstat in v. 580. οἰστρηλάτῳ δὲ δείματι δειλαίαν. Frequentissimus vero est trimeter iambicus, qui in Ius proodo quater usurpatur in vv. 567., 568., 569., 571., quorum tribus prioribus id commune est, quod primum pedem habent irrationabilem; omnium autem, de quibus sermo est, trimetrorum, cum catalectici sint, thesis paenultima tempore trisemo continetur. Cui arsium ἀλογίᾳ et paenultimarum thesium τονῇ vel maxime convenit, quod crebra dochmiorum solutio vitatur, qua re tarditate effecta et gravitate versus propius inter se accedant. Quod idem quadrat in trimetrum v. 695. πέφρικ' εἰσιδοῦσα πρᾶξιν 'Ιοῦς, qui post dochmios πρωταλόγους et ἀμφάλογον duplici catalexi ornata est. Denique trimeter prima arsi irrationabili legitur in v. 690., purus in 586. Dimetri iambici occurrunt nobis in v. 581. παράκοπον ὧδε τείρεις; et 585. ἅδην με πολύπλανοι πλάναι. Fortasse Weilium sequendum est,

qui in v. 694. ἰὼ ἰὼ μοῖρα μοῖρα alterum ἰώ deleri iubet, quo omisso tetrapodia duplici catalexi exoritur, nisi dochmium hypercatalectum s. bacchium geminatum intellegere praestat. Tetrapodia trochaica deprehenditur in v. 587. πημονὰς ἀλύξω et 583. μηδέ μοι φθονήσῃς, tripodia in 584. εὐγμάτων ἄναξ, quam tamen rhythmicam tetrapodiae vim habere verisimile est. Haec habui, quae de carminum dochmiacorum structura ac natura dicerem, quae fere nulla ex parte a more Aeschyleo distare vidimus.

4. Jam in quaestionem vocentur **strophae vv. 128—135=144—151 et 397—405=406—414.** In his metris constituendis inter viros doctos magna orta est controversia, cum aliis mensura iambico- choriambica placeret, aliis numeri ionici. Illam quidem sententiam suam fecerunt Burneius et Blomfieldius Angli, cum haec patronum invenerit Hermannum, qui elem. doctr. metr. p. 493. Anglos vituperat, quod non sine dispendio venustatis numerorum et contra disertam auctoritatem veterum utroque loco dimetros choriambicos intellexerint. Dedit enim ipse iudicii sui testimonium, quod quae scholiasta adnotat ad. v. 128., in medium proferebat: ὁ ῥυθμὸς Ἀνακρεόντειός ἐστι κεκλασμένος πρὸς τὸ θρηνητικόν. ἐπεδήμησε γὰρ τῇ Ἀττικῇ Κριτίου ἐρῶν καὶ ἠρέσθη λίαν τοῖς μέλεσι τοῦ τραγικοῦ. ἐχρῶντο δὲ αὐτοῖς οὐκ ἐν παντὶ τόπῳ, ἀλλ' ἐν τοῖς θρηνητικοῖς, ὡς καὶ Σοφοκλῆς Τυροῖ β'. ἔστι δὲ ταῦθ' ὅμοια τῷ

οὐδ' αὖ μ'ἐάσεις μεθύοντ' οἴκαδ' ἀπελθεῖν.

Cui exemplo Tyrus Sophocleae aliud ex eiusdem Electra v. 1058. petitum addit, quod iisdem numeris sit factum. Hermannum secuti sunt Weckleinius, Weilius, alii, quorum alter, cur mensura ionica strophae v. 128. tenenda sit, novam sibi attulisse videtur causam, quod aliae Aeschyli strophae ab eodem, quo haec stropha similive versu incipientes, Prom. 397., Sept. 720., haud dubie numeris ionicis utantur. Adicere potuit, ionicos numeros, qua sunt natura atque indole, libenter a tragicis mulierum choro tribui, ut in Aeschyli Supplicibus, in Euripidis Bacchis et Supplicibus. Neque Rossbachius et Westphalius praefat. art. metr. edit. I., p. XLVIII. stropham

v. 397. ionicis a minore conscriptam fuisse negarunt idque suo iure, nam versus Anacreonteus ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – – per totam stropham regnat semelque puris ionicis v. 398. δακρυσίστακτον ἀπ' ὄσσων ῥαδινῶν δ'εἱ-βομένα. Cui strophae similis in omnibus tragicorum Graecorum operibus una superest in Sophoclis Electra, quam iam ab Hermanno laudatam supra commemoravimus. Qua in stropha ἀνακλώμενοι eadem perpetuitate adhibentur, nisi quod media pars logaoedica est. Ipsum colon προῳδικόν ⏓ – ⏑ – – loci Sophoclei τί τοὺς ἄνωθεν cum hoc convenit στένω σε τᾶς οὐ-λομένας. Neque Aeschylus idem alibi non habet, ut in Sept. 720. πέφρικα τὰν ὠ-λεσίοικον. Quod ad strophae compositionem attinet, unusquisque dimeter fit versus exceptis trimetro v. 399., qui cum dimetro in unum versum consociatus est: δακρυσίστακτον ἀπ' ὄσσων ῥαδινῶν δ'εἰβομένα ῥέος παρειάν, et dimetro v. 404., qui ut ex antistropho consequitur, cum proximo dimetro unum versum efficit: ὑπερήφανον θεοῖς τοῖς πάρος ἐνδείκνυσιν αἰχμάν. Eadem trimetri cum dimetro consociatio occurrit nobis in Agam. 711. πολύθρηνον μέγα που στένει κικλήσκουσα Πάριν τὸν αἰνόλεκτρον. Versus ipsi ἀνακλώμενοι severa responsione in antistropho repetuntur, quin etiam syllaba irrationabilis paeonis pentasemi ⏑ ⏑ – – pro ⏑ ⏑ – ⏑ in stropha et antistropho servatur v. 405. πάρος ἐνδείκνυσιν αἰχμάν, 414. πή | μασι συγκάμνουσι θνατοί. Restat, ut quam ex strophae compositione habeamus sententiam aperiamus. Discimus enim ex strophis, quae numero ionico compositae sunt, non aspernatum esse Aeschylum ἀνακλωμένους s. ut cum Hephaestione loquar, τὸ ἀπ' ἐλάσσονος ἰωνικὸν ἐπίμικτον πρὸς τὰς τροχαϊκὰς διποδίας, attamen rarissime illis usus est, ut numero multo pauciores sint puris ionicis. Quod igitur in hac fabula ἀνακλωμένους, quos Aeschylus hic illic parce habet, in consuetudinem communem venisse videmus, id quidem non iniuria colligere videmur, si est Aeschyli, recentissimis eius fabulis esse adnumerandam Prometheum. Summaque cautione adhibita Rossbachius et Westphalius praefat. l. l. iudicarunt, stropham v. 397. non omnino obstare mori Aeschyleo, quod iudicium meum facere prorsus non dubito.

Sed quid stropha v. 128? Non eodem modo mihi verisimile videtur, conditam eam esse metro ionico, quamquam neglegendo veterum scholio eadem me peccare, quae iam Hermannus, Weilius, alii in Anglos animadverterant, non ignoro. Quam sententiam sequenti consideratione confirmare studebo. Concedo sane Weilio, incipere stropham eodem, quo Sept. 720., Prom. 397., versu, quae carmina sine dubio numeris ionicis decurrunt, attamen non eadem perpetuitate atque integritate, qua stropham v. 397. exstructam vidimus, versus Anacreontei repetuntur, cum huius fabulae poeta in eiusdem generis strophis componendis sibi constaret, id quod in strophis iambicis et trochaica, in quibus tempora trisema vel constantissime neglecta sunt, non intermisi quin perpaucis significarem. Neque enim modo ad ipsos ἀνακλωμένους interpretandos pausis aut τονῇ uti cogimur, sed etiam perspicui logaoedici inseruntur versus. Pausa quidem statuenda est in versu

προσέβα τόνδε πάγον πατρῴας,
⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓ Λ.

Huc accedunt versus logaoedici:

132. ed. Weckl. χραιπνοφόροι δέ μ'ἔπεμψαν αὖραι,

134. τὰν θεμερῶπιν αἰδῶ.

135. σύθην δ'ἀπέδιλος ὄχῳ πτερωτῷ.

Neque versum 131. μόγις παρειποῦσα φρένας ex ordine illo proodico et ionico catalectico compositum dixerim, immo: quin constet ex dipodia iambica et choriambo mihi non est dubium. Maxime vero in huius strophae compositione metrica pertractanda sibi indulsit Christius, qui non solum pausis statutis numeros ionicos defendere studebat, sed etiam, ut omnes versus eundem haberent in thesin exitum choro mulierum quam maxime idoneum, eorum dispositionem mutabat, ut ipse fateretur: Aber ich habe nicht so viel Selbstvertrauen, die Rhythmisirung als sicher und zweifellos hinzustellen. cfr. art. metr. Graec. et Roman., Lips. 1874, p. 625. sq. Quas dubitationes omnes, quae in stropha ionica v. 397. nullae erant, consideranti mecum longe praes mihi videtur cum Anglis, Rossbachio Westphalioque dim

choriambicos constituere quam mensuram ionicam sequentem in difficultatibus acquiescere, praesertim cum illa mensura probata strophae compositio simplicissima cognoscatur. Attamen restant scrupuli et beatus ille terque beatus, qui hac de re accuratius quid proferre poterit. Nostrum vero de strophae re metrica iudicium semper idem erit sive ἀνακλωμένους sive choriambos comprobaverimus, utraque mensura ad Sophocleum et Euripideum usum inclinante. Quam vero difficile sit saepenumero discernere, utrum metrum sit usurpatum, ipse Hermannus non negat elem. doctr. metr. p. 494: ‚Ceterum non dissimulabo, quibusdam in locis ita ambiguum esse, utrum Ionicus sit numerus an choriambicus, ut nunc pro utro iudicari oporteat plane nesciamus, nunc paene fateri cogamur, temere hos numeros mixtos videri?'

II. Nunc eo disputationis nostrae progressi sumus, ut tota quaestio de iis metris, quae Prometheus et ceterae Aeschyli fabulae communia habent, tractata et ad exitum adducta videatur. Restat, qui erat ordo propositus, ut **in numeros a tragoedia Aeschylea alienos** inquiratur. Quam in quaestionem referenda esset stropha v. 128., si distinctio choriambica, quam Sophocles et Euripides in deliciis habent, de qua re vide Rossb.-Westph. art. metr. II², p. 841. sq., omni dubitatione vacua esset. Quod vero nonnulli scrupuli restant semperque, ut puto, restabunt, illius ita mentionem fieri satius duxi, ut ad alteram partem transitum pararet. Cuius in fronte pono:

1. stropham logaoedico-anapaesticam v. 545 et epodum v. 425. Sed cum strophae scriptura tradita corruptelis nimis sit depravata, antistrophi verba, quae integra sola sunt respicienda, exscripta demus, necessarium videtur:

ἔμαθον τάδε σὰς προσιδοῦσ' ὀλοὰς τύχας, Προμηθεῦ.
τὸ διαμφίδιον δέ μοι μέλος προςέπτα
τόδ' ἐκεῖνό θ'ὅ τ' ἀμφὶ λουτρὰ
καὶ λέχος σὸν ὑμεναίουν
ἰότατι γάμων, ὅτε τὰν ὁμοπάτριον ἕδνοις
ἄγαγες Ἡσιόναν πείθων δάμαρτα κοινόλεκτρον.

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – –
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – –
⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒
– ⏑ – ⏑ – ⏑ – –
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – – ⏑ – ⏑ – ⏑ – –

Erant, qui epodum corruptelis interpolationibusque intellectis in formam strophicam redigerent, Hermannus, Weckleinius, Weilius, alii, quorum Hermannus loco supra laudato sententiam irritam fecit. Ceteros vero, qui interpolatoris manum detegere conantur, admonitos velim, caverent, ne nimio antistrophicorum indagandorum studio onus Atlanteum sustinere viderentur, quamquam ut epodum corruptelis laborare negem, multum abest. Quibus de stropha et epodo praemissis singulos ordines respiciamus, qui sunt dactylici, anapaestici, iambici, trochaici, logaoedici, ita in utrumque carmen dispertiti, ut numeris par intercedat inter singulos ratio. Quo factum est, ut neque strophae neque epodo natura aut dactylica aut anapaestica aut iambica aut trochaica aut logaoedica imprimeretur, immo utraque adnumeranda est iis generibus metricis, quibus in tragoedia Euripidea frequentissimis Rossbachius et Westphalius nomen numeris vel aptissimum indiderunt tragica episyntheta. Scimus sane Aeschylum iambicis trochaicisque strophis ordines dactylicos, anapaesticos, logaoedicos admiscuisse, sed nusquam mixtura talis est, ut cuiusque strophae natura propria perturbetur atque tollatur. Neque nimis longe repetenda est causa, cur istam ordinum varietatem Euripides et, qui eum nonnullis fabulis sequitur, Sophocles captaverint. Cum Aeschylus ῥυθμοποιΐας ποικιλίαν eo tantummodo petiisset, quod catalexin intra versus admittebat, recentioris tragoediae auctores simplicibus formis non contenti, ut erant φιλόκαινοι, illa ordinum varietate novos modos musicos comparare studebant. Imprimis Euripidi hoc novarum rerum studium dandum est, qui etiam strophas iambico-trochaicas ab Aeschylo alienas, ut μιμήσει μουσικῇ satisfaceret, condidit. Novum igitur argumentum praesto est, quod quantopere Promethei auctor

Euripidem secutus sit, indicat. Ex Sophocle, Euripide, Aristophane, quem tragicorum carmina in comoediam convertisse verisimile est, singula exempla attulisse satis habeo.

Trach. 497—506. = 507—516.

μέγα τι σθένος ἁ Κύπρις ἐκφέρεται νίκας ἀεί.
καὶ τὰ μὲν θεῶν
παρέβαν, καὶ ὅπως Κρονίδαν ἀπάτασεν οὐ λέγω,
οὐδὲ τὸν ἔννυχον Ἅιδαν,
ἢ Ποσειδάωνα τινάκτορα γαίας·
ἀλλ' ἐπὶ τάνδ' ἄρ' ἄκοιτιν
τίνες ἀμφίγυοι κατέβαν πρὸ γάμων,
τίνες πάμπληκτα παγκόνιτά τ' ἐξῆλθον ἄεθλ' ἀγώνων.

Eur. Andr. 1027—1036. = 1037—1046.

βέβακε δ' Ἀτρείδας ἀλόχου παλάμαις·
αὐτά τ' ἐναλλάξασα φόνον θανάτῳ
πρὸς τέκνων ἀπηύρα·
θεοῦ θεοῦ νιν κέλευσμ' ἐπεστράφη
μαντόσυνον, ὅτε νιν Ἀργόθεν πορευθεὶς
Ἀγαμεμνόνιος κέλωρ
ἀδύτων ἐπιβὰς κτάνεν ματρὸς φονεύς,
ὦ δαῖμον, ὦ Φοῖβε, πῶς πείθομαι;

Maxime vero ordinibus anapaesticis Promethei strophae simile est carmen in Aristoph. av. 451—459. = 539—547.

δολερὸν μὲν ἀεὶ κατὰ πάντα δὴ τρόπον
πέφυκεν ἄνθρωπος· σὺ δ' ὅμως λέγε μοι.
τάχα γὰρ τύχοις ἂν
χρηστὸν ἐξειπὼν ὅ τι μοι παρορᾷς, ἢ
δύναμίν τινα μείζω
παραλειπομένην ὑπ' ἐμῆς
φρενὸς ἀξυνέτου· σὺ δὲ τοῦθ', ὃ δρᾷς, λέγ' εἰς κοινόν.
ὃ γὰρ ἂν σὺ τύχῃς μοι
ἀγαθὸν πορίσας, τοῦτο κοινὸν ἔσται.

2. Restat, ut in fine huius de partibus melicis capitis examinentur **strophae vv. 526—535. = 536—544. et 887—893. = 894—900,** qua in disputatione eum tenebimus ordinem, quem Plutarch. mus. c. 33. proposuit: ἀναγκαῖον δύο

τοὐλάχιστον γνώσεις ὑπάρχειν ......, πρῶτον μὲν τοῦ ἤθους, οὗ ἕνεκα ἡ σύνθεσις γεγένηται, ἔπειτα τούτων, ἐξ ὧν σύνθεσις. Quod ad ἦθος attinet, occurrit hic nobis genus metricum, quod cum omnino in tragoedia alienigena et externum sit habendum, tum gravitati πάθους Aeschylei mirum quantum discordet. Nam cum formas τρόπου διασταλτικοῦ s. τραγικοῦ summa cum integritate semper servasset neque unquam quid aliunde alieni carminibus vindicasset, in hac fabula Aeschylus ad strophas episynthetas τρόπου ἡσυχαστικοῦ bis descendit, ex quarum argumento et indole perbene cognoscitur, in tragoedia regnantem τρόπον τραγικόν paulisper cessisse ἡσυχαστικῷ lyricorum qui dicuntur Doriensium. Neque fieri potest, ut has strophas, quibus insunt ἠρεμότης ψυχῆς καὶ κατάστημα ἐλευθέριόν τε καὶ εἰρηνικόν, suis locis positas esse negemus, cum prima, qua praedicatur beatus, qui neque ὁσίας θοίνας neglegendo neque verbis peccando vitam ἐν φαναῖς εὐφροσύναις degit, quam efficacissime Promethei, quae modum excedit, irae opposita exstet, altera coniugii ineundi normas morales docendo fortunae ac sorti Ius vel maxime contraria posita sit. Attamen Aeschylus nusquam huiusmodi strophas, ex quibus animus in contentione tragica requietem et pacem caperet, condidit, immo ab eo abhorrent, quantum immane — liceat mihi haec verba comparationis causa ab Horatio repetere — vino et lucernis Medus acinaces discrepet. Qua ἤθους permira neglectione insignis nota nobis parata est atque vera, qua de origine harum stropharum Aeschylea dubitare iubeamur. Cuius usus exemplum non tam a Sophocle repetivit poeta, quam ab Euripide, quocum id ipsum commune habet, quod illae strophae, qua sunt indole quieta, ceteris stropharum paribus praemittuntur, quem quidem locum Aeschylus trochaicis concedere solebat. Neque id silentio praetermiserim, quod duo huiusmodi strophae inveniuntur, cum fabulis Euripideis praeter Medeam singulae sint tributae. Ex hac enim re iure colligere mihi videor, Prometheo incunabula τρόπου ἡσυχαστικοῦ in tragoedia usurpati non repraesentari. Sed accedamus nunc ad singulos ἐξ ὧν σύνθεσις versus enucleandos. Compositio utriusque stro-

phae simplicissima est, constat enim ex duobus illis elementis, quae fundamenta stropharum episynthetarum τρόπου ἡσυχαστικοῦ habenda sunt, ex trochaei enim cum spondeo consociatione et ex tripodia dactylica, quarum illam πόδα σύνθετον ὀκτάσημον intellexerunt Rossbachius et Westphalius

$$\begin{array}{cc|cc} \multicolumn{2}{c|}{4} & \multicolumn{2}{c}{4} \\ \bar{\alpha} & \breve{\alpha} & — & — \\ 8/3 & 4/3 & 2 & 2 \end{array}$$

hanc πόδα σύνθετον ἑκκαιδεκάσημον δακτυλικόν:

acatalecta forma – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⊔ ⊔

catalectica – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⊔ ⊔̆ ∧

Utraque stropha accurate exaedificata est, neque enim solum contractio contiguarum brevium, quam Euripides concessit, vitata, verum etiam anacrusis semel posita est in v. 891. καὶ μήτε τῶν πλούτῳ διαθρυπτομένων, ut ἦθος ἡσυχαστικόν vel maxime purum esset secundum Aristid. p. 97. Meib. τῶν δὲ ῥυθμῶν ἡσυχαίτατοι μὲν οἱ ἀπὸ θέσεων προκαταστέλλοντες τὴν διάνοιαν, οἱ δὲ ἀπὸ ἄρσεων τῇ φωνῇ τὴν κροῦσιν ἐπιφέροντες τεταραγμένοι. In elementorum exitu intra versum facto bis longae antistrophice respondet brevis syllaba, in v. 531. βουφόνοις παρ' — 541. μυρίοις μόχθοις, 535. ἄλλα μοι τόδ' — 544. αὐτόνῳ γνώμᾳ. Singulorum membrorum in versus copulationem respicientes offendimus periodos μονοκώλους, δικώλους, τρικώλους. Tres sunt μονόκωλοι, in vv. 526. μηδάμ' ὁ πάντα νέμων, 534. μηδ' ἀλίτοιμι λόγοις, 887. ἦ σοφὸς ἦ σοφὸς ὅς. Quinque deprehendimus δικώλους, quarum tres constant ex dipodiis singulis, quas sequuntur singulae tetrapodiae, vv. 527., 891. (iambelegi forma), 892., una ex tribus epitritis, v. 893., una ex tetrapodia cum Ithyphallico v. 535. De tribus epitritis quadruplex cogitari potest distinctio, nam aut duo priores aut posteriores unum membrum complectuntur aut periodus est τρίκωλος aut, quod mihi veri similius videtur, trimeter ὀκτωκαιδεκάσημος accipiendus est, quae ῥυθμικὴ μεταβολή in fine strophae nihil habet offensionis. Ithyphallico solo, ut hanc rem iam nunc stringam, hae strophae Pindari modis Doriis dissimiles sunt, cetera similia. Periodi τρίκωλοι exstant tres vv. 530., 889., quarum altera

propterea est notabilis, quod formam metricam praebet, qua neque Pindarus neque Sophocles neque Euripides usi sunt, est enim haec:

– ⏑ – – | – ⏑⏑ – ⏑⏑ ⊔ ⊔ | – ⏑⏑ – ⏑⏑ ⊔ ⏓,

cum ceteri hanc formam catalecticam usurparint:

– ⏑ – – | – ⏑⏑ – ⏑⏑ ⊔ ⊔ | – ⏑⏑ – ⏑⏑ ⊔

Apud Aristophanem solum illa forma leguntur eccles. vv. 574. ἔρχεται γνώμης ἐπίνοια, πολίτην δῆμον ἐπαγλαϊοῦσα, 577. cum anacrusi καιρὸς δὲ · δεῖται γάρ τι σοφοῦ τινὸς ἐξευρήματος ἡ πόλις ἡμῶν. Tertia periodus τρίκωλος est v. 890. sic:

περίοδος τρίκωλος

δεξιόν | μέσον | ἀριστερόν

ὡς τὸ κηδεῦ | σαι καθ' ἑαυτὸν ἀριστεύ | ει μακρῷ

Denique si in dipodiarum et tetrapodiarum vice eurhythmicam singulorum membrorum responsionem indagamus, dipodia notata littera α, tetrapodia β, primae strophae haec est:

β | α β | α β β | α β α | β | β Ithyph.

Alterius eiusmodi responsionem membrorum accuratam non inveni.

Caput IV.

De dramatis oeconomia.

Praemissa multa de trimetris iambicis, systematis anapaesticis, partibus melicis explicatione reliquum est, ut in fine huius libelli de tragoediae oeconomia perpauca addantur. Cuiusmodi appendix iam eo necessaria videtur, quod nonnulla ad hanc metricam quaestionem profligandam multum valentia, quae antea partim non apte, partim omnino non proferri poterant, relicta sunt. Ordiamur igitur ab iis, quae

Horatius κατὰ τὸ ποσόν tragoediae praecepit et εἰς ἃ διαιρεῖται μέρη art. poet. v. 189.:

‚Neve minor neu sit quinto productior actu | fabula, quae posci vult et spectata reponi.' Cui praecepto, quod ex Graecarum fabularum oeconomia repetitum putandum est, quam maxime magnitudine Prometheus satisfacit. Divisa enim est fabula in quinque actus, qui ipsi carminibus choricis quasi terminis separantur; primus actus s. prologus continetur versibus 1—127, alter s. primum episodium 193—396, tertius 436—525, quartus 561—886, quintus s. exodus inde a versu 907. incipit. Priusquam vero eorum, quae intra singulos actus a more Aeschyleo aliena inveniuntur, mentionem facimus, chorica carmina breviter attingam. Prologus a primo episodio distrahitur carmine, quod quin sit parodus dubitari nequit. Primum enim haec sententia confirmatur definitione Aristotelia in poet. c. 12.: πάροδος μὲν πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ, deinde indicat chorus, δι' ἣν αἰτίαν πάρεστιν, denique non desunt anapaesti, quos Aristoteles Sophoclis et Euripidis tragoediis respectis parodi proprios vindicaverat eo, quod stasimum definiebat sic: στάσιμον δὲ μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου. Vide de hac re Westphal. Prolegomena ad Aeschyli tragoedias, Lips. 1869, p. 57—68. Sed magna est differentia formae et speciei, quae inter ceteras parodos Aeschyleas et Promethei exstat. Nam cum in illis, quibus quidem anapaesti adiuncti sint, anapaestica systemata universi chori cantico praemissa a coryphaeo recitentur, in Prometheo chori strophis intermixta ἀπὸ σκηνῆς canuntur, ut quae commatica vocatur, parodus nascatur. Talem vero formam parodicam ab Aeschylo alienam primi in usum receperunt Sophocles et Euripides, qui novarum rerum studiosi antiquitus traditam simplicitatem magis magisque omiserunt. Alia mutatae formae parodicae causa repetenda est a chori auctoritate, qui actorum dignitate amplificata de praecipuo, quem antea obtinuerat, loco descendit. Apud Aeschylum quidem chorus pompa splendida orchestram ingressus ipsos spectatores alloquitur. Quod idem valet in Eumenides, cum propria parodus inde a versu 307. incipere videatur, quam

Pollucem ἐπιπάροδον intellexisse verisimile est. Eumenides enim spectatores allocutas esse, facile consequitur ex pronomine ὅδ' v. 316.:

ὅστις δ'ἀλιτὼν ὥσπερ ὅδ' ἀνὴρ
χεῖρας φονίας ἐπικρύπτει.

De hac re docte egit Th. Kockius, Ueber die Parodos der griechischen Tragödie im Allgemeinen und die des Oedipus in Kolonos im Besonderen, Gymn. Progr. Posen 1850, p. 16. Quo vinculo, quod chorum cum spectatoribus coniunxerat, in Prometheo rupto sermonis vicissitudo actorum et chori substituitur, quae ipsa causa videtur esse, cur propius ad scaenam in conspectum theatri venerint nymphae. Neque est, cur huic parodo similes a Sophocle et Euripide petitas supponamus. Ceteri actus tribus stasimis finiuntur, quorum primum scholiasta tale cognovit adnotatione facta ad versum 397: τὸ στάσιμον ᾄδει ὁ χορὸς ἐπὶ τῆς γῆς κατεληλυθώς. Quae stasima omnia illi, quam iam supra exscripsimus, definitioni Aristoteliae respondet, cum ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου sint composita. Sed quid Aeschylus? Solet etiam stasima haud raro cum anapaestis consociare, quin etiam Eumenidum quartum choricum Promethei parodo similem praebet speciem. Quod igitur haec stasima anapaestis sunt destituta, argumentorum iam praegressa disputatione coacervatorum numerus augetur, Sophoclis et Euripidis exemplo institutoque Promethei auctorem condidisse carmina.

His de carminibus in universum expositis ad μέγεθος eorum transimus. Jam R. Engelmannus in Philol. XXVII., p. 736. quae amplitudinis esset ratio inter singularum Aeschyli fabularum partes melicas numeris usus ostendit. Supplicum enim plus dimidia pars chori est (1072: 594), dimidia fere pars Persarum (1067: 457) et Septem (1077: 468), quae ratio in Orestia in tertiam partem minuitur (Agam 682: 1673 = $^1/_3$ — $^1/_2$, Choeph. 380: 1076 = $^1/_3$, Eum. 354: 1047 = $^1/_3$), cum Promethei partes melicae septimam fabulae partem complectantur (1093: 151). Ubi tandem sunt in Prometheo illa chorica, in ceteris fabulis in octo stropharum paria dilatata et amplificata, quibus percipiendis antiquorum animos

non summopere defatigatos esse hac aetate nos intellegere nequeamus. Nullum igitur factum esse videmus locum principem, quem Aeschylus choricis concesserat, quae caput esse voluit et cardinem, circum quem omnia reliqua quasi mobiliora et leviora converterentur. Neque mirum est, quod cum choricon exiguitate tenuitas et exilitas argumenti congruunt. Meminerimus velim illius, quo norma moralis coniugii ineundi praedicatur, carminis, quo nihil exilius potest cogitari comparatione inita cum iis strophis, quibus Aeschylus in Supplicibus summa ubertate et copia amorem et coniugium celebravit, quibus solis, si praeter eas nihil ad hanc aetatem pervenisset, immortalem sibi parasset gloriam. Neque Aristoxenus, summus ille existimator, ista, quae ante oculos habemus, Promethei carmina respexisse putandus est, cum Aeschyli carmina perfectionis absolutionisque exemplaria praeferebat Sophoclis et Euripidis operibus, in quibus omnibus parodo excepta Oedipodis Regis desideratur lex illa et dispositio rerum artificiosa a Terpandri νόμῳ repetitae, quas secuti Phidias eodem modo atque Aeschylus et Pindarus pulcherrima et summa admiratione digna opera finxerunt.

Sed perstringamus nunc, quae intra singulos actus reperiamus Aeschyleo mori repugnantia. Primum offensioni sunt duo carmina, quae ἀπὸ σκηνῆς canuntur, cum in ceterarum fabularum monodiis, quae vocantur, haec lex servetur, ut monodiae aut a singulis choreutis recitentur aut, ut θρῆνοι, inter chorum et actores dividantur. Intellego Promethei monodiam inde a versu 88—127. et Ius a. v. 566—588. cum antistropho. Sed cum Sophoclis et Euripidis carmina ἀπὸ σκηνῆς cantata in illud decem annorum spatium, quod belli Peloponnesiaci eventui antecedebat, referenda sint, haud scio an Promethei monodias eidem demus tempori, nisi vero ipsum Aeschylum huius modi carminum auctorem habemus, quem ceteri imitandum sibi proposuerint. Quae est illa σκηνικὴ μουσικὴ, quam Aristoxenus cum ῥυθμοποιΐᾳ παλαιῶν (scil. Aeschyli et Phrynichi) comparavit. Neque praetereundum videtur, quod in fabulis Aeschyleis omnino ter ab

actoribus canitur, a Casandra in Agam. 1072, a nuntio Supplicum 836, ab Electra et Oreste in Choephoron threno, semper autem cantus actorum cum cantu aut universi chori aut singulorum choreutarum coniunctus est, cum actores alias aut sermone aut genere canendi recitativo utantur. Praeter has monodias chori stropha antistropho carens tertio episodio admixta exstat vv. 687—695, qualium carminum apud Aeschylum creber est usus, ut in Persis et Septem terna, in Supplicibus quattuor, in Agamemnone, Choephoris, Eumenidibus bina, quae omnia sunt antistrophica excepto uno, quod legitur in Choeph. 152., quod Promethei carmen magnitudine superat. Vide quem horum carminum conspectum dedit Westphal. Prolegg. etc. p. 189—192. Accedit alia inter Prometheum et ceteras Aeschyli tragoedias differentia. Unaquaeque enim tragoedia Aeschylea, si per argumentum id fieri licet, θρήνῳ s. κομμῷ exornata est, quale carmen Choephoris exceptis in exodo locum habet. Carent commo Supplices et Eumenides, substituitur tamen alio carmine, quod apte μέλος ἀφοδικόν nominatur. In Prometheo vero et in ceterorum tragicorum fabulis post tertium stasimum nullum invenitur carmen, ut exodi definitio poeticae Aristoteliae, quam Sophoclis et Euripidis fabulas respexisse constat, etiam in Prometheum cadat: ἔξοδος δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας μεθ' ὃ οὐκ ἔστι χοροῦ μέλος. Denique usus anapaestorum paucis commemoretur. Solet enim Aeschylus advenientem actorem pluribus hypermetris prosequi, quod idem factum videmus in Oceani incessu, qui ipse et chorus singula hypermetra recitant; non idem Ius adventu fit, quae uno hypermetro usa scaenam ingreditur. Eodem modo mos Aeschyleus, quo episodia anapaestis concluduntur, relictus est. De Sophocle et Euripide, qui et hunc et illum anapaestorum usum ad morem perpetuum et normam transferebant, vide Rossbach-Westphal. art. metr. II.², p. 413. sq.

Index libelli.

Theodorus Carolus Bertholdus Heidler
de vita sua.

Natus sum a. d. XV. Cal. Febr. a. h. s. LX. in vico regionis Vratislaviensis, cui nomen est Kottwitz, ex parentibus Carolo Heidler, ludi magistro, et Ida gentis Gabrielianae, quibus ut aliquantulum gratiae referre possim, Deus faxit optumus maxumus. Fidem profiteor catholicam. Postquam elementa in ludo publico didici, puer XI annorum in gymnasium Glacense missus in quintum ordinem receptus sum ab I. Oberdickio, qui tum fasces tenebat, qui successorem habuit H. C. Steinium, cuius auspiciis etiamnunc gymnasium floret. Maturitatis testimonio impetrato autumno a. h. s. LXXIX. Universitatem literarum Viadrinam adii studiis philologicis operam navaturus. Carolo Weinholdo rectore magnifico, Eduardo Grube philosophorum facultatis decano academicorum civium numero adscriptus per novem semestria scholas frequentavi philologicas, philosophas, historicas, geographicas v. v. ill. Hertz, Reifferscheid, Rossbach, Stenzler, Kaibel, Zacher, Dilthey, Weber, Oginski, Dove, Niese, Roepell, Partsch. Seminarii regii philologorum per tria semestria sodalis fui extraordinarius eorumque per unum sodalis maximi munere functus sum, per sex menses sodalis ordinarius. Seminarii regii historici exercitationibus, quibus praeerat v. cl. Richardus Roepell, per bis sex menses interfui. Praeceptoribus meis et omnibus, qui et opera et consilio benevolentiam mihi praestiterunt, summas ago gratias eorumque memoriam semper pio animo complectar.

Themata.

I. Sen. suas. I, 1, 6. ed. Kiessl. hanc scripturam commendo: ‚servandum tamen aliquem modum, ne non eveniret veneratio et accideret tale aliquid . . . . . .'

II. Sen. suas. II, 2, 7. codicum memoriam: ‚nihil erit, quod virtuti nostrae se opponat,' sanam esse contendo.

III. Sen. contr. II, 12, 3. haec correctio mihi placet: ‚Quam nihil in illa domo meretricium fuit; vidi' (codices: ‚Quam . . . . meretricia fide vidit).

IV. Iamblich. de vit. Pyth. XVIII, § 86. sic restituerim: οἷον περὶ τοῦ τὸν ἄρτον μὴ καταγνύναι, ὅτι πρὸς τὴν ἐν ᾅδου κρίσιν τοῦτο συμφέρει (codd. omnes pro τοῦτο offerunt οὐ).

V. Soph. Phil. 227. poetam conicio scripsisse:

ἀλλ' οἰκτίσαντες ἄνδρα δύστηνον, μόνον,
ἔρημον ὧδε κἀφίλως δολούμενον
φωνήσατ', εἴπερ ὡς φίλοι προσήκετε.

VI. Aesch. Prom. 600. lacunam hac ratione expleverim:

σκιρτημάτων δὲ νήστισιν αἰκίαις
λαβρόσυτος ἦλθον, θείοις
ἐπικότοισι μήδεσι δαμεῖσα.

DE PROMETHEI SEPTEM PERSARUM AESCHYLI FABULARUM CODICIBUS RECENTIORIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
ROSTOCHIENSI
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

ADOLFUS REUTER
MEGAPOLITANUS.

CERVIMONTII
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ,BOTE AUS DEM RIESENGEBIRGE'
MDCCCLXXXIII.

GEORGIO KAIBELIO

SACRUM

Vita.

Natus sum Adolfus Reuter Pritzieri, in pago Megapolitano anno h. s. LIX die XXVIII mens. April. parentibus Hermanno et Louisa e gente Tarnow adhuc vivis. Sacerdotis munere fungitur pater Brenzii, in pago prope Parchimium urbem sito. Vere anni LXXII pater gymnasio Parchimii urbis me tradidit, cui rector praeerat Meyerus vir docendi alacritate egregius. Vere anni LXXIX maturitatis testimonium adeptus Rostochium me contuli, ubi, cum rectore Schirrmachero philologorum ordini adscriptus essem, Fritzschium et Foersterum audivi. Autumno anni LXXXI, cum Lipsiam petiissem, per tria semestria scholis interfui Curtii, Langii, Lipsii, de Noordenii, Ribbeckii, Wundtii. Vere anni LXXXII Rostochium reversus per haec duo semestria scholas frequentavi Fritzschii, Kaibelii, Schirrmacheri, de Steinii. Sodalis ordinarius fui seminarii philologici rectore Kaibelio et seminarii historici, cuius exercitationes moderabatur Schirrmacherus. Quibus viris praeclarissimis, cum relinquam academiam, facere non possum, quin hoc loco gratias amplissimas agam. Nec unquam gratam beneficiorum memoriam tempora exstinguent!

Pars I.

Huius aetatis viros doctos magnopere dissentire inter se constat de codicibus Aeschyleis recte aestimandis. Alii enim, e codice Mediceo omnium, qui nunc exstant codicum antiquissimo ceteros recentiores universos fluxisse affirmantes, nihil praesidii esse apud reliquos contendunt, exceptis iis locis, quibus levissima codicis Medicei vitia a posterioribus librariis sint correcta.

Alii recentiores quoque codices suam habere auctoritatem in contrariam partem afferunt, quippe non a codice Mediceo derivatos, sed ex alio quodam libro Mediceo vetustiore deductos.

Codex Mediceus 32, 9 membranaceus, saeculo X vel XI scriptus, continet praeter Sophoclis septem quae supersunt fabulas et Apollonii Rhodii Argonautica Aeschyli fabulas hoc ordine traditas: Persas, Agamemnonem, Choephoros, Prometheum Eumenides, Septem adversus Thebas, Supplices. Scholia adscripsit in margine manus secunda; eademque manus saepius correxisse videtur menda a prima manu admissa. Emendationes manus secundae, quae est manu prima non multo recentior, corrector sumpsisse videtur ex eodem exemplo, e quo verba poëtae sunt descripta. Postea vero manus recentiores verbis poëtae intulerunt et interpolationes et emendationes, quae congruere solent cum lectionibus codicum recentiorum.

Sunt praeter Mediceum nonnulli codices, qui omnes quae nunc exstant Aeschyli fabulas continent, sed eo ordine scriptas, ut Prometheum, Septem, Persas, Orestea et Supplices excipiant.

Plus autem triginta sunt libri, quibus solae Prometheus, Septem, Persae sunt traditae. Quos singulos enumerare et disserere de eorum natura et aetate omitto, cum omnium codicum index satis accuratus inveniatur in editionis Hermannianae praefatione Mauritii Hauptii. Satis est afferre codicum recentiorum nullum recedere ultra XIII saeculum.

Horum igitur codicum, cum priores editores, quos forte ad manum haberent, iis in recensendo Aeschylo uterentur, Burgesius primus*) peculiarem quandam auctoritatem tribuendam esse codici Mediceo posuit in adnotatione ad Suppl. ed. Lond. 1821 p. 41. Cuius libri inspiciendi cum facultas mihi non sit data, quid de Burgesio Dindorfius censeat (ed. Aesch. Lips. 5 p. VI) hoc loco afferre liceat: „Ex codice Med. derivata sunt, quotquot ad hunc usque diem innotuerunt harum tragoediarum apographa: quod primus omnium Georgius Burgesius dixit in adnotationibus ad Supplices p. 41; etsi non alio, ut videtur, argumento motus, quam quod codices omnes in vitiis plurimis ac plane singularibus consentire videret.“ Quamquam Burgesium non persuasisse aequalibus, vel inde apparet, quod nemo posteo exstitit, qui aut refelleret eius opinionem aut confirmaret. Tandem aliquot annis intermissis Burgesii sententiam oblivione, opinor, obrutam, redintegravit Cobetus in oratione illa, quam habuit Lugduni — Batavorum anno 1846 „de arte interpretandi grammatices et critices fundamentis innixa, primario philologi officio“ qui dicit p. 103:

„Satis mihi constat Aeschyli et Sophoclis fabulas, quas habemus, in uno codice, qui nunc in Laurentiana Bibliotheca servatur, ad nos pervenisse, ex quo vetustissimo libro profluxit, quidquid codicum MSS ubique invenitur.“

Quod, quamvis comprobare exemplis se posse ille v. d. dicat, tamen, quod summi fuisset momenti, argumentis affirmare omittit. Neque per annos sequentes quisquam, cum alii aliter iudicarent, certis allatis testimoniis ipsisque codicibus collatis explanare rem instituit.

Dindorfius quidem in editionibus Aesch. solius codicis Medicei fidem est secutus. Cautius tamen et modestius egerunt Ritschelius et Hermannus; ille enim dicit in praefatione ed. Sept. p. V, codicem Mediceum unum et communem esse fontem ceterorum se vereri ut possit probabiliter demonstrari; ex Hermanni recensione autem, quamquam de codicibus Aeschyli, quantum scio, nunquam ille v. d. disseruit, tamen satis apparet, antiquae et verae lectionis vestigia, quae per codices recentiores manarent, eum non neglexisse.

---

*) cf. Wecklein: Die aeschyleische Literatur von 1859—1871 in Phil. XXXI p. 715 f.

Sed cum ad id tempus nihil in ea quaestione disceptanda esset profectum, eodem anno 1862 ediderunt Dindorfius commentationem in Philologo vol. XVIII p. 55 ff. „Ueber die mediceische Handschrift des Aeschylus und ihr Verhältniss zu den uebrigen Handschriften" et Heimsoethius librum illum, qui inscribitur „Die indirecte Ueberlieferung des aeschylischen Textes". Quorum ille admodum multis lectionibus variis allatis, e solo codice Mediceo ceteros omnes esse deductos studet comprobare, hic codices recentiores ad librum aliquem Mediceo integriorem et vetustiorem referendos esse affirmat. Ac de Heimsoethio postea disputabitur: prius Dindorfii argumenta num sint vera aut probabilia videamus.

Sed antequam dicere de Dindorfii commentatione incipiam, hoc erit praefandum: quamvis dissentiant inter se vv. dd. de codicum fide et auctoritate, id tamen inter omnes constat, segregandas esse in hac disputatione priores quae feruntur fabulas i. e. Prometheum, Septem, Persas ab Orestea et Supplicibus. Egerunt de iis codicibus, qui Oresteam et Supplices exhibent Engerus, Keckius alii; ego vero nihil me invenisse profiteor, quo hi codices e Mediceo non fluxisse arguerentur. Quare quae de his Dindorfius disputavit omitto. Sed alia priorum trium fabularum videtur esse ratio. Quas cum perscrutarer, nonnullos in locos incidi, qui mihi probarent, statuendum esse archetypum ad quem et Mediceus et codd. recc. redirent. Sed obstabat Dindorfii auctoritas, qui, quamvis essent oblocuti Heimsoethius et postea Weckleinius (Studien zu Aeschylus p. 60 f.), praedicavit in appendice Lexici Aeschylei p. 405 „e codice Med. derivata esse omnia quae adhuc innotuissent apographa, in commentatione edita in Phil. XVIII, invictis se demonstrasse argumentis, quae a nemine videret labefactata".

Iam vero examinemus Dindorfii argumenta necesse est:

Post Sept. v. 175*) sequitur in cod. Mediceo hic versus.

κεὶ μή τις ἀρχῆς τῆς ἐμῆς ἀκούσεται codd. recc. autem omnes addunt post v. 175 haec: *τοιαῦτα ἂν γυναιξὶ συνναίων ἔχοις* vel *τοιαῦτ᾽ ἂν* vel *τοιαῦτα γ᾽ ἂν*.

Recte dicit Dindorfius, post. v. 175 excidisse ea verba, quibus Eteocles Thebanis aliquid imperaret, cum versus *κεὶ μή* etc. nihil haberet, quo apte referretur. Concedendum quoque

*) Numeris Hermannianis utor per totam commentationem.

est, spurium esse illum versum, quem recc. addunt. Sed minime inde potest colligi, quod vult Dindorfius, codd. recc. a codice Mediceo esse derivatos. Potest enim ea lacuna, quam Mediceus exhibet, fuisse in libro multo vetustiore, neque quidquam cogit nos, ut eam e Mediceo esse translatam in codd. recc. arbitremur.

Quod vero contendit Dindorfius, versum illum adulterinum eo consilio esse a grammatico Byzantino insertum, ut tolleret hiatum sententiae, nullo modo est probabile; neque enim ille, si hiare orationem animadvertisset, hunc absurdum versum esset commentus, quo nihil corruptela sanatur (quod Weckleinius: Studien zu Aeschylus p. 60 quoque vidit). Cogitari autem potest in communi omnium librorum archetypo aut librarium, qui intercidisse quaedam videret, vacuum unius versus spatium reliquisse, aut situ vel atramenti macula versum esse exstinctum; ita enim potuit fieri, ut librarius Mediceus lacunam, quae fuit in archetypo indicata, negligeret, grammaticus autem recentior eam subditivo illo versu explere studeret. Quamquam initio mihi quoque paene persuasisse Dindorfium, ne ego quidem nego, propterea quod casu evenit, ut ille ipse versus post quem lacuna est statuenda, in codice Mediceo in fine paginae sit scriptus. Possit enim putari, librarium codicis Medicei, cum in eius archetypo integra etiamtum exstarent Aeschyli verba, per negligentiam unum versum, quem se iam in praecedenti pagina exarasse putaret, omisisse; itaque factum esse, ut vitium a librario Mediceo primo admissum, in omnes codices recentiores e Mediceo transferretur. Attamen nihil impedit, quominus iam in archetypo post v. 175 quaedam excidisse statuamus; etenim cum multae lacunae antiquitus lateant in Aeschyli fabulis, non est mirandum, quod una earum in codice Mediceo forte incidit in finem paginae.

Cetera autem, quae attulit Dindorfius exempla ne speciem quidem habent probabilitatis.

Sept. 78 legitur in cod. Med.

θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη. pro *θρέομαι* plerique codd. exhibent *θρεῦμαι*, sed *θρέομαι* cum codice Mediceo Vit. Par. B. *θροῦμαι* Aug. Deinde pro *μεγάλ' ἄχη*, quod est in Med. Lips. Par B., ceteri praebent *μεγάλα τ' ἄχη* excepto Cantabr. 1, qui habet *μεγάλα ἄχη*.

Affirmat Dindorfius, variam lectionem *θρεῦμαι φοβερὰ μεγάλα τ' ἄχη* interpolatam esse a grammatico recentiore, ut tetrapodiam efficeret iambicam; et profecto *μεγαλ' ἄχη* vera est

Aeschyli manus. Sed potest dubitari de verbo *θρεῦμαι*, quod recepit Hermannus, qui hoc carmen trochaei semanti pondere, non anapaesto exordiendum esse adnotat. Dindorfius contra lacunam statuens ante *θρέομαι*, hoc vocabulum extremam partem esse dicit dochmii, quem supplet adiectivo *νεόκοτα* ante *θρέομαι* inserto.

Quamquam ego vix mihi persuadeam, a grammatico Byzantino pro *θρέομαι* insolentius tragicis *θρεῦμαι* esse positum. Codicis Aug. quidem lectio *θροῦμαι* per dittographiam videtur esse intelligenda, ita ut fuerit in eo libro, e quo Aug. est derivatus, *θρεῦμαι*, supra adscripto *ο* ab interpolatore, ut usitatiorem formam *θρέομαι* restitueret; a librario autem per errorem *ο* pro *ε* est in textum receptum. Quae dittographia nescio an fuerit in archetypo quoque, ut in alios codices *θρεῦμαι* in alios *θρέομαι* inde manaret. Sed ut *μεγάλ' ἄχη* non solum, sed etiam *θρέομαι* depravatum sit ab interpolatore, sunt tamen codices, qui veram huius versus lectionem vel totam vel aliqua ex parte servaverint. Atqui si universi praeter solum Mediceum experti essent interpolationem, num hos codices a Mediceo deductos esse eo comprobaretur? Nonne potest fingi, alios fuisse codices, qui etsi nullam cum Mediceo haberent cognationem, tamen recte, ut ille, traderent versum *θρέομαι* etc.? Nonne, cum his posterioris aetatis librarii uterentur, eodem modo potuit fieri, ut alii iique religiosissimi, velut Par. B. Vit. Lips., integram retinerent traditam lectionem, alii, qui vel metrum emendandum vel adiectiva *φοβερὰ μεγάλα* iungenda *τε* particula censerent, poëtae verba interpolarent? Nullo modo igitur hoc argumento Dindorfius probavit, codd. recc. a Mediceo esse derivatos.

Neque alia est ratio eius loci quem deinceps Dindorfius tractavit:

Pers. 581, 2 inter *ἄπαιδες* et *δαιμόνι' ἄχη* literas *ἐρα* additas habet cod. Mediceus quas eiiciendas esse docet ratio antistrophica. Pro *ἐρα* ceteri codd. exhibent *ἔρρανται* sive *ἔρανται*, quod iterum ansam praebuit Dindorfio interpolationis statuendae. Literas *ἐρα* enim contendit mutilatas esse e verbo *ἔρρουσι* quod archetypus Medicei codicis adscriptum habuisset in margine ad lacunam strophae v. 568 ante *στένε* explendam. Sed cum in archetypo stropha et antistropha iuxta essent positae, correctoris adnotationem, quae ad stropham pertineret, irrepsisse in antistropham. Codicis Medicei corruptelam deinde propagatam esse

per omnia apographa. Atque eandem quam Dindorfius emendandi viam ingressus est Hermannus, eo discrimine interposito, quod non coniectura descendit ad vocem ἔρρουσι, sed ἔρραντι ante στένε v. 568 recepit. Et multa sunt, quibus commendetur Hermanni emendatio; primum enim non apparet, quid adduxerit interpolatorem, ut corrigeret ἔρρανται, quod cum insolenter esset usurpatum, tum ne quadraret quidem ad sententiam eo loco, quo in codicibus legitur; deinde v. 568 ἔρρανται optime se habet et maiore cum vi dictum est quam ieinuum illud ἔρρουσι, quod Dindorfius coniecit. Quamobrem non sine veritatis specie potest colligi, in archetypo omnium librorum fuisse ἔρα altero ρ omisso et literis νται per compendium scriptis. Sed etiamsi Dindorfio concedamus, interpolatam esse lectionem ἔρρανται, nihil tamen aliud eo comprobetur, quam fortasse in eo quoque codice, quo librarii recc. usi sunt, scriptum fuisse ἔρα, quod emendandum esse interpolator aliquis putaret. —

His tribus exemplis allatis, satis ostendisse sibi videtur Dindorfius, codices recentiores e Mediceo esse derivatos. Deinde. ut illustraret rem, adiecit indicem earum lectionum, quas diversas a Mediceo codd. recc. exhibent. Sunt autem emendationes, quas ipse Dindorfius e codd. recc. recipiendas esse dicit, in Prometheo: 81, Septem: 55, Persis: 96. Eae autem lectiones, quas interpolatas esse a recc. ille contendit, sunt in Prom.: 35, Sept.: 29, Pers.: 69. Atque, ut omittamus Sept. Pers., age vero examinemus locos e Prom. sumptos. Inter 35 illos sunt 23, ubi non omnes codd. recc., sed nonnulli, saepius unus solus, sive interpolatione, sive calami lapsu depravatam exhibeat lectionem; manifestum igitur est, his corruptelis nihil infirmari universorum codicum recc. fidem. Septem locis, quae lectio sit praeferenda certo non constat, ne dicam, vel melius esse quod recc. exhibent. Restant quinque lectiones (v. 140. 371. 382. 518. 677), quas, cum recte tradiderit cod. Mediceus depravatas habeant codd. recc. omnes.

Sed, ut paucis dicam, ne unum quidem locum attulit Dindorfius, e quo appareret codicem Mediceum esse archetypum ceterorum. Conquirere interpolationes librariorum recc. satis habet et invehi in eorum stupiditatem, quasi vero, si fingeremus codicem aliquem Mediceo meliorem et sexcentis annis vetustiorem, hic non eodem modo expertus esset malam manum posteriorum grammaticorum. —

Dindorfii sententiam acerrime, ut supra dixi, impugnavit Heimsoethius (Indirecte Ueberl. p. 5—9 p. 177).

Protulit enim locos quatuor e Persis sumptos, quibus integriores lectiones quam Mediceus solus cod. Vindobonensis*) aliquis servasset. Quamquam tribus illarum lectionum Vind. (Pers. 972. 218. 722) ne mihi quidem inesse videtur ulla auctoritas; nam Pers. 218 *τέκνοις* quod e cod. Vind. pro *τέκνῳ* Heimsoethius restituit, facillima emendatione cuiusvis erat invenire; et Pers. 972. 722 non sine artificiosis coniecturis teneri possunt illius codicis lectiones. Quas retractare, praesertim cum Sorofius (in ea dissertatione, de qua postea dicetur, p. 34 ff.) fusius de iis egerit, omitto. De quarto vero loco, qui, quamvis mihi quidem videatur optime allatus esse ab Heimsoethio, tamen nonnullos vv. dd. offenderit facere non possum, quin disputem. Est autem hic locus Pers. 305, ubi vulgo legitur.

νικώμενοι κύρισσον ἰσχυρὰν χθόνα. Pro *νικώμενοι*, quod est languidum et omni vi caret poetica, Heimsoethius e cod. Vind. illo restituit *κυκώμενοι*. Sed Dindorfius, ne agnoscat aliam praeter codicis Medicei auctoritatem, itemque Teuffelius (adn. ad hunc versum) quia offendit in vocabulo *κυκᾶν*, quod non possit usurpari de solidis hominum corporibus, cod. Vind. lectionem calami lapsu depravatam esse e *νικώμενοι* contendunt, cum librarius ad *κύρισσον* aberraverit; quod quidem haberet aliquam probabilitatem, si ferri posset *νικώμενοι*, aut si, quod Teuffelius vult, claudicaret *κυκώμενοι* ac non egregiam praeberet sententiam. Verbum *κυκᾶν* de aridis quoque rebus dici posse, ostendit ille locus ab Heimsoethio comparatus Soph. Electr. 733. *παρεὶς κλύδων᾽ ἔφιππον ἐν μέσῳ κυκώμενον*: eo minus hoc loco offensionis habet *κυκώμενοι*, quia undae miscentur hominum corporibus. Videmus enim, id spectasse poetam, ut nuntius, interrogatus ab Atossa, qui Persarum principes cecidissent, cum acerbitate et asperitate singulorum mortes singularibus et novis imaginibus exponeret. Quid vero atrocius potuit dici, quam mortuos confusos quasi et immixtos undis circa litora insulae allisos esse ad terram? Egregia est imago, qua praeclarissime, quomodo torpentia corpora fluctibus sint agitata, depingitur. Quare, si recte traditum est *κυκώμενοι*, statuendum erit, librarium non suo arbitrio hunc locum emendasse, sed libro integriore quam Med. esse usum. —

*) cuius nulla fit mentio in Hermanni adnotatione ad hos locos.

Post Heimsoethium tetigit hanc quaestionem Weckleinius in eo libro, qui inscribitur „Studien zu Aeschylus“, ubi p. 60 codices recc. non e Mediceo sed et Mediceum et codices recc. ex eodem fonte esse ductos posuit. Quamquam de argumentis, quibus non inepte usus est ille v. d. melius infra p. 23. 27 huius commentationis dicetur. —

Nuper vero Martinus Sorofius edidit dissertationem („de ratione quae inter eos codices recentiores, quibus Aeschyli fabulae Prometheus Septem adv. Thebas, Persae continentur, et codicem Laurentianum intercedat“ diss. Berolin. ann. 1882) eo consilio scriptam, ut „cum dubitarent etiamtum nonnulli viri docti, num codicum recc. unus fons esset Laur., illos ad unum omnes ab hoc derivatos esse comprobaret.“

Atque priore quidem commentationis parte codices recc. omnes manasse ex uno eodemque libro a Mediceo diverso eo demonstravit Sorofius, quod saepius easdem exhibent lectiones a solo cod. Mediceo discrepantes. Cuius rei exempla nonnulla ille collegit, quibus facile est alia addere, velut Pers. 797 ubi pro *τρόποις*, quod est in Mediceo, ceteri omnes recte habent *τόποις*. Pers. 680 Med.: *ἐξεφῦντ᾽* (superscr. *οι*) recc.: *ἐξέφθιντ᾽* Prom. 471 Med.: *σοφισμάτων* recc.: *σόφισμ᾽ ὅτῳ*.

Deinde altera libelli parte hunc codicem, a quo recc. omnes essent ducti, quem litera A. signavit, ab ipso Mediceo esse descriptum, ostendere conatus est.

Iam vero illa argumenta, quibus inprimis innititur Sorofii opinio examinemus necesse est. Dicit ille quidem p. 6: „codicem A. e Laur. derivatum esse, eo probari, quod nonnunquam errores a librario codicis Laur. admissi, in recentioribus codicibus retenti atque etiam aucti sint.“ Sed in ipsa exempla, quibus haec explanare vult Sorofius, est inquirendum:

Pers. 475 f. habet Med.

ναῶν δὲ ταγοὶ τῶν λελειμμένων σύδην
κατ᾽ οὖρον οὐκ εὔκοσμον αἱροῦνται φυγήν.

veram lectionem *αἴρονται* restituit Elmsleius, interpolata est in omnibus codicibus recc. *αἱροῦνται*. Sed quod demonstrare vult Sorofius, codicem A. ex Mediceo esse descriptum, hoc loco non probatur. Nihil aliud enim coniicere licet, quam utriusque codicis librarium legisse in suo libro *αἱροῦνται* pro *αἴρονται*; sed quando et quo auctore haec corruptela orta sit, non constat: posset, si non

obstarent alia eaque gravissima testimonia, a librario codicis Medicei esse admissa, potest esse multo antiquior.

Eiusdem generis sunt alia exempla, quae collegit Sorofius, quae quia non opus est singula refellere, breviter afferam:

Pers. 582 ἔρα Med. ἔρανται vel ἔῤῥανται recc. cf. p. 5 f.

Prom. 607 τί μὴ χρὴ τί φάρμακον νόσου Med. Par. C. Par. B. τί με χρὴ sive τί μοι χρὴ ceteri. Veram lectionem τί μῆχαρ ἢ τί φάρμακον νόσου restituerunt Elmsleius et Martinus.

Sept. 747 παλαιφάτων ἀραὶ Med. Ox. Veram Aeschyli manum παλαιφάτων ἀρᾶν restituit Engerus. Propagarunt autem vitium, quod in Med. Ox. exstat, omnes librarii recc. παλαίφατοι scribentes.

Sept. 749 πελόμεν' οὖσ Med. quod depravatum esse e πενομένους Sorofius cum Kirchhoffio dicit; τελόμεν' recc.

Nihil autem his locis probavit Sorofius, quia Medicei corruptelae, quas recc. interpolaverunt, sunt eiusmodi, ut possint iam esse admissae in libro vetustiore, qui communis esset omnium codicum archetypus.

Quamquam duos locos non licet omittere, quos, si quis non satis accurate examinaverit, habere aliquam probandi vim forte opinetur.

Prom. v. 236 dicit Prometheus:

καὶ τοῖσιν οὐδεὶς ἀντέβαινε πλὴν ἐμοῦ,
ἐγὼ δ' ἐτόλμησ'· ἐξελυσάμην βροτοὺς etc.

in codice Mediceo legitur ἐγὼ δὲ τόλμησ' depravatum ex ἐγὼ δ' ἐτόλμησ' ita tamen, ut servatus sit apostrophus verae lectionis vestigium. Calami vero lapsus, admissus a librario Mediceo propagatus est a recc. ita quidem, ut nonnulli exhibeant ἐγὼ δὲ τόλμης, alii ἐγὼ δὲ τολμῆς, alii denique ἐγὼ δ' ὁ τολμῆς.

Fateor me quoque initio in hoc loco haesitasse. Etenim cum non sit verisimile, tanta cum fide librarium codicis Medicei scripsisse, ut levem illam et tenuem corruptelam ex alio codice integram reciperet, putandum erit, ab illo primo vitium esse admissum. Possit igitur coniici, interpolatas codicum recc. lectiones ad unum cod. Mediceum esse referendas.

Sed aliud docet de huius interpolationis origine atque natura schol. Med. qui explicat: τινὲς ἐτόλμησα. καὶ τὸ ἑξῆς μετὰ ἤθους. δύναται καὶ τολμῆς εἶναι ὡς τιμῆς τιμήεις. Qua ex adnotatione cum variae afferantur lectiones ἐτόλμησα et τολμῆς, intelligitur eum, qui hoc scholion scriberet, in suo codice nec

ἐτόλμησα nec τολμῇς legisse, sed τόλμης, quod a nonnullis est traditum. Apparet igitur, iam priusquam codex Mediceus conficeretur, tres fuisse huius loci varias lectiones, quarum duas cum legeret librarius Med. sive in margine sive inter lineas adscriptas, confundens δὲ τόλμης et δ' ἐτόλμησ' exaravit δὲ τόλμησ'. Recc. vero librarii harum lectionum unam alteramve suo arbitrio elegerunt. Deteriores autem huius loci lectiones inde videntur esse ortae, quia grammatici offenderunt in asyndeto, quo usus est Aeschylus.

Sept. 731 habet Mediceus ἀβουλίαν sed ultima litera incerta, recc. plerique: ἀβουλίᾳ, nonnulli ἀβουλίαις sive ἀβουλίας. Scripserunt ἀβουλιᾶν Dindorfius et Kirchhoffius. Dicit igitur Sorofius, librarium codicis A. e Med. ἀβουλίᾳ recepisse pro ἀβουλίαν, quod propius abesset a vera lectione ἀβουλιᾶν. Sed primum non constat ab ipso Aeschylo scriptum esse ἀβουλιᾶν; nam quod editores, si recte intelligo, interpretantur: „victus dulci insania", vereor, ut his verbis Aeschylus expressurus fuerit, quia ἀβουλία non est insania sed pariter ac ἀπορία inopia consilii; ac ne recc. quidem lectiones idoneam praebent sententiam. Quamobrem altius latere videtur corruptela, cui, quid facerent, cum ignorarent librarii alii aliud coniecerunt. Deinde, etiamsi concedamus, integriorem quam codicis A. esse Medicei lectionem, tamen potest cogitari, ἀβουλίαν iam habuisse illum codicem, e quo et Med. et A. manarent, librarium autem A. ad sententiam utcunque corrigendam scripsisse ἀβουλίᾳ pro ἀβουλίαν. Ad extremum denique non est magni faciendum quod Sorofius in codice Mediceo incertam esse ultimam literam vocis ἀβουλίαν dicit, quia literae ν et ι propter formarum similitudinem saepius a librario Mediceo sunt confusae. — Sed haec hactenus de interpolationibus codicum recc. quibus illos e Mediceo derivatos esse demonstrari posse Sorofius iudicat. Deinde (p. 9.) sententiam suam eo dicit firmari, quod nonnunquam glossae in cod. Mediceo superscriptae vel adscriptae a grammatico recc. in Aeschyli verba receptae sint. Cuius rei haec exempla affert:

Prom. 559: ἐν πετρίνοισι superscripto a sec. manu τοῖς ὀρείοις Med. ἐν πετρίνοισι τοῖς ὀρείοις. A.

Sept. 112. δὲ supra adscripto γὰρ Med. γὰρ pro δὲ A.

Sept. 702. in margine codicis Medicei est interpretatio ἃ γὰρ νύκτωρ παρεκελεύσατο καὶ γέγονε, quam post v. 702 in textum recepit librarius A.

Sed possunt hae interpretationes in cod. Med. adscriptae antiquioris esse originis, quam ipse cod. Mediceus nec quidquam cogit nos, ut ex hoc eas irrepsisse in codices recc. statuamus.

Singularem tum locum tractavit Sorofius Pers. 859, ubi pro *νομίσματα* et Mediceus et recc. codd. omnes exhibent *νομίματα*. Hoc autem in Mediceo ita est traditum, ut syllabae *νομι* in fine versus sint scriptae et a literis *ματα* novus versus incipiat. Putat igitur Sorofius, a librario cod. Med. primo omissam esse literam *σ* ante *ματα*, qui eam se iam in versu praecedente exarasse crederet; inde autem hanc corruptelam in omnes codd. recc. manasse. Sed cum eodem modo quo in Mediceo, in vetustioribus quoque codicibus divisos fuisse versus credibile est, a quo librario profectum sit vitium, non potest discerni. Haec fere fuerunt, quibus codicem A. e Mediceo descriptum esse demonstrasse sibi videtur Sorofius. — Deinde omne studium operamque eo contulit, ut paene omnibus locis enumeratis, ubi recc. praestantiores Mediceo lectiones praeberent, has coniectura esse inventas, non vero sumptas e vetusto aliquo libro ostenderet. Hisque locis magnum numerum opposuit eorum, in quibus depravatae sint a recc. codicis Medicei lectiones. De quibus, cum nihil contineant, quo fulciatur Sorofii opinio, disputare supersedeo. —

Pars II.

His igitur expositis, non audaciae aut temeritatis me puto accusari posse si, quod vulgo fertur, cod. Mediceum unum esse fontem ceterorum codicum, a nullo iam esse certis argumentis probatum contendam.

Ostendit quidem Sorofius, e libro a Mediceo diverso codd. recc. esse descriptos. Hunc autem codicem manasse e Mediceo cum ille non demonstraverit, possit cogitari, ipsum codicem A. esse archetypum, e quo Med. quoque sit descriptus. Quod tamen ne arbitremur, multi obstant loci, ubi, cum integram archetypi lectionem servaverit cod. Med., ceteri omnes eodem modo sint interpolati, ita ut non sit probabile, omnes librarios casu in eandem interpolationem incidisse. Exempli gratia affero Pers. v. 475, ubi pro *αἰροῦνται*, quod corruptum ex *αἴρονται* cod. Med. exhibet, in omnibus codd. recc. exstat interpolata lectio *αἱροῦνται.* Quamobrem mihi quidem est persuasum, ex eodem archetypo codices A. et Mediceum manasse, quod iis, quae afferam argumentis comprobaturum me esse spero. — Ad communem autem archetypum utrumque librum esse referendum, eo demonstrari potest gravissimo testimonio, quod interdum vitia, quae latent in traditis verbis, cum intacta reliquerit librarius A. interpolata et propagata sunt a libraria Mediceo.

Prom. 618. Ioni interroganti:
οὔκουν πόροις ἂν τήνδε δωρεὰν ἐμοί; respondet Prometheus:
λέγ' ἥντιν' αἰτεῖ· πᾶν γὰρ ἂν πύθοιό μου.

Sed quamvis sit certum haec ita ab ipso Aeschylo esse scripta, tamen magnopere libri fluctuant. Sic enim alii aliud tradunt:

πᾶν γὰρ οὖν πύθοιό μου Med. *πάντα γὰρ πύθοιό μοι* (sic) G. Ven. 1 Ox. *πᾶν γὰρ ἐκπύθοιό μου* Lips. Aug. Vind. 2. 3. 4.

Ex hac lectionum varietate iam satis clare apparet, in archetypo fuisse unius syllabae lacunam eamque, ab aliis aliter esse reparatam. Integra autem archetypi lectio servata est in Vit. Colb. 1. 2. Par. N., qui praebent πᾶν γὰρ πύθοιό μου. Emendate denique Par. B. Bess. habent: πᾶν γὰρ ἂν πύθοιό μου. Quae cum ita sint, gravissimis ipsorum codicum testimoniis comprobatur, non ad codicum Mediceum ceteros, sed ad unum archetypum omnes libros esse referendos. Finge codicem Mediceum esse ceterorum fontem, ut librarius is qui codicem A. confecit, scriptum invenerit: πᾶν γὰρ οὖν πύθοιό μου. Aut deprehendit vitium: tum sine mora ἂν particulam reposuisset, quae lege grammatica acerrime postulatur; aut non deprehendit: tum sine dubio οὖν descripsisset ex archetypo. Neutrum vero cum factum sit, apparet, non ad codicem Mediceum redire varias codicum recc. lectiones. Manifesto autem ac dilucide, unde haec tanta librorum discrepantia orta sit, ita explicari potest, ut et Mediceus et A. codices ex eodem archetypo fluxisse statuamus, qui haberet πᾶν γὰρ πύθοιό μου. Librarius Med. longam syllabam requiri metro intelligens, sed non tam linguae peritus, ut ἂν particulam reponendam esse videret, interpolata οὖν particula metrum restituit, sermonis vitium non sanavit. Librarius autem codicis A., cum nihil adderet archetypi lectioni, emendandum hunc locum posteris reliquit, quorum soli Par. B. Bess. ἂν particulam de coniectura restituerunt. —

Simillima est codicum ratio Prom. 522, qui versus sic in cod. Med. legitur:

τοῦτ᾽ οὐκ᾽ ἂν οὖν πύθοιο μηδὲ λιπάρει.

Particulam οὖν, sicut in v. 618, hic quoque interpolatam esse, facile cognoscitur; molestum enim et supervacaneum est οὖν, quod cum sit ratiocinantis et concludentis, vix ferri potest in hac sententiarum cohaerentia. Atque οὖν omittunt G. Lips. Vit. Aug. Colb. 1. Par. E. N. Vind. 2. οὐκέτ ἂν habent Vind. 1. 3. οὐκ ἔτ᾽ ἂν Colb. 2. Cantabr. 1. 2. οὐκ ἂν ἐκπύθοιο denique unus Ven. 3.

Hermannus cum Ven. 3 scripsit ἐκπύθοιο, Dindorfius οὐκέτ᾽ ἂν recepit. Kirchhoffius denique quamvis retineret codicis Medicei lectionem, tamen facere non potuit, quin illud οὐκέτ᾽ ἂν in ima pagina adnotaret. Sed quam quisque praeoptet lectionem, hoc nihil refert. Satis est statuere, fuisse in archetypo omissa una syllaba ita scriptum: τοῦτ᾽ οὐκ ἂν πύθοιο μη ὲ λιπάρει.

Quam lacunam cum ineptissime expleret librarius Med. *οὖν* particula inserta, codicis A. librarius religiosissime ea sola, quae in archetypo legerat, descripsit; atque A. codicem secuti sunt recc. plerique. Pauci iique feliciores Mediceo, emendare sunt conati. —

Pari modo lacunam, quam exhibuit archetypus, explere studuit librarius Med. in Prom. v. 610, ubi Med. Vit. Ven. 3 exhibent:

λέξω τορῶς σοι πᾶν ὅτι χρῄζεις μαθεῖν.

In recentioribus codicibus ceteris legitur *ὃ χρῄζεις*. Pro *ὅτι* quod suspectum est propterea, quod nusquam fere Aeschylus neglexit correptionem Atticam, veram lectionem *ὅπερ* restituit Porsonus ex Etymologico Magno (p. 762, 10), et *ὅπερ* inde ab omnibus editoribus est receptum. Iam vero apparet, simillimum hunc locum esse iis, quos modo tractavi. Fuit enim in archetypo *ὃ* omisso *περ*. Librarius vero Med. ne deesset syllaba senario, interpolavit *ὅτι* pro *ὃ*, de prosodia securus. In cod. A. autem summa cum fide descriptum erat illud *ὃ*, in archetypo traditum. Quod cum plerique integrum reciperent, soli Vit. Ven. 3 eodem modo quo Med. interpolarunt. —

Nec minus interpolatorem deprehendimus librarium Med. Prom. 684 f, ubi tradit:

κλύεις τὰ πραχθέντ᾽· εἰ δ᾽ ἔχεις εἰπεῖν ἔτι
λοιπὸν πόνον, σήμαινε·

in *ἔτι* voce omnes codd. conspirant, *πόνον* praeter Med. habent Cantabr. 1. 2. Ven. 2. Vind. 3. Veram lectionem *ὅτι — πόνων*, commendatam codicibus recc., qui *ἔτι — πόνων* exhibent, receptam iam in edd. Ald. Turn, probavit Dindorfius nec non Kirchhoffius. Sorofius, qui p. 29 dicit, non difficile fuisse (correctori Byzantino) *πόνων* ex *πόνον* corrigere, temeritatem suam aperuit; neque enim ullo modo cogitari potest, eum qui corrigere vellet Medicei codicis lectionem, probata *ἔτι* particula, scripturum fuisse *πόνων* pro *πόνον*.

Dindorfius (Philol. XVIII p. 82) falso refert, *ἔτι — πόνον* a. recc. correctum esse in *ὅτι — πόνων*. Perspicuum est *πόνων* nec negligentia corruptum esse ex illo *πόνον*, quod est in cod. Med., nec de industria interpolatum a grammatico aliquo. Sed fuit in archetypo *ἔτι* calami lapsu exaratum pro *ὅτι*, recte autem scriptum *πόνων*. Codicis A. librarius, nullo interpolandi studio ductus, religiosissime, quod invenit in archetypo *ἔτι — πόνων* descripsit; Med. autem, qui offenderet in genetivo *πόνων* ad

cetera verba non apto, levissima mutatione scripsit *πόνον*; atque in eandem correctionem quippe facillimam postea inciderunt Cantabr. 1. 2. Ven. 2. Vind. 3; ceteri *πόνων* ex cod. A. receperunt. —

His igitur expositis nescio an contendi possit cum aliqua probabilitate, codices recc. non a Mediceo sed a libro vestutiore aliquo et meliore esse derivatos. Sunt autem multa alia eiusdem generis exempla in Prometheo, Persis, Septem adversus Thebas, quae, ut accuratius res illustretur, deinceps afferam.

Prom. 42 habet Med. cum aliis: *αἰεί τε δὴ νηλὴς σὺ καὶ θράσους πλέως*, Vindobonensis 3 lectionem *αἰεί γε δὴ νηλὴς* ut praestabilem Porsonum secuti receperunt editores praeter Kirchhoffium. Offendit enim codicis Medicei lectio, primum quia *τε* particulam post *νηλὴς* potius adiectivum quam post *ἀεὶ* adverbium positam exspectamus. Deinde, ubi duo vocabula per *τε* — *καί* coniunguntur, opponuntur ut ita dicam inter se et utrumque per se intelligitur; quamobrem, cum in hoc versu *νηλής* et *θράσους πλέως* arcto quodam vinculo iuncta sint et unam quasi efficiant notionem multo melius uni *καί* quam duabus *τε* — *καί* particulis est locus. Quae cum ita sint, illud *γε* codicis Vind., sive e coniectura est scriptum sive ex antiquo libro sumptum, praeferendum esse Medicei lectioni constat.

Iam vero allatis ceterorum codd. variis lectionibus, quid fuerit in archetypo cognoscere licet.

Habent *αἰεί τοι νηλὴς* G. *αἰεί τοι δὴ νηλὴς* Lips. Aug. *αἰεί τι δὴ νηλὴς* alii (quos non singulos commemorat Hermannus). Qua ex discrepantia librorum quid habuerit archetypus, facillime potest erui. Codicum enim G. Lips. Aug. lectiones inter se comparatae ostendunt, in eo libro, unde ipsi manarunt, scriptum fuisse *αἰεὶ δὴ νηλῆς*, addito supra lineam ab interpolatore ineptissime *τοι*. In G. tum *τοι* pro *δὴ* scriptum est, Lips. Aug. *τοι* ante *δὴ* in versum receperunt. Unde *αἰεὶ δὴ νηλὴς* exhibuisse archetypum certissime potest concludi. Interpolavit librarius Mediceus *τε* particulam post *αἰεὶ* ut satisfaceret metro, integram archetypi lectionem retinuit cod. A. quae deinde ab omnibus recc. librarius varium in modum est interpolata.

Prom. 173 ff. legitur in Med. Colb. 1. Par. L.:

καί μ' οὔτοι μελιγλώσσοις πειθοῦς
ἐπαοιδαῖσιν θέλξει, στερεάς τ'
οὔποτ' ἀπειλὰς πτήξας τόδ' ἐγὼ
καταμηνύσω·

καί μ' οὔτι exhibent Lips. 2. Aug. et plerique; *καίτοι μ' οὐ* G. et duo Vind. Vitiosum est et *καί μ' οὔτοι* et *καίτοι μ' οὐ*, quia, cum *γλ* apud tragicos quoque efficiat positionem, creticus infertur numeris anapaesticis. Optime igitur pro *οὔτοι* Porsonus scripsit *οὔτε*; nam „opponi inter se debebant (sc. per *οὔτε* — *τε*), ut Hermanni verbis utar, preces et minae". Fuit autem in archetypo *καί μ' οὐ μελιγλώσσοις* etc. omissa una syllaba brevi; quam lacunam stultissime explevit interpolator ad *οὐ* supra adscripto *τοι*. Itaque est factum, ut alii scriberent *καί μ' οὔτοι*, alii *καίτοι μ' οὐ*. Emendandi denique metri causa nonnulli *οὔτι* ex *οὔτοι* correxerunt. Sed quoniam archetypum exhibuisse solum *οὐ* perspicuum est, nihil impedit, quominus recipiamus Porsoni emendationem.

Pr. 479 ff. dicit Prometheus:

εἴ τις ἐς νόσον πέσοι
οὐκ ἦν ἀλέξημ' οὐδὲν οὔτε βρώσιμον,
οὐ χριστόν, οὔτε πιστόν, ἀλλὰ φαρμάκων
χρείᾳ κατεσκέλλοντο.

De priore *οὔτε*, quamquam nonnulli codices, in quibus Med. habent *οὐδὲ*, nulla potest esse dubitatio; magis autem in sequenti versu libri discrepant; exhibent enim *οὐδὲ πιστόν* Med. G. et pro varia lectione Par. B. *οὐ πιστόν* Lips. Aug. Colb. 1. Cantabr. 2, sed in Lips. *δὲ* est superscriptum, *οὐ ποτιστόν* Vit. Par. B. C. Quaeritur utrum praeferenda sit codicis Medicei lectio, quam retinuit Kirchhoffius an *οὔτε* scribendum quod Blomfieldo debetur. Constat *οὐδέ* particulam, ubi cum singulis vocabulis coniungatur, valere ne — quidem, ut, si *οὐδὲ πιστόν* scriptum fuisse ab Aeschylo iudicaremus, adiectivum *πιστός* gradatione quadam esset distinctum a ceteris. Quare, cum adiectiva *βρώσιμος*, *χριστός πιστός* eiusdem fere sint generis et inter se similia, praestare videtur *οὔτε πιστόν*. Atque cum *οὔτε* — *οὐ* — *οὔτε* comparari potest Sept. v. 45 *Ἄρη τ', Ἐνυώ, καὶ φιλαίματον Φόβον*, ad quem versum adnotavit Hermannus: „copula ad *Ἐνυώ* eodem modo omissa est, quo *οὔτε* — *οὐ* — *οὔτε* iungi solent."

Iam vero potest statui, fuisse in archetypo *οὐ πιστόν* omisso *τε*, quod facillime potuit fieri praecedente *οὐ χριστόν*; archetypi autem lectionem, interpolatam a librario Mediceo integram recepit librarius A. recentiorum tum alii codicis A. lectionem retinuerunt, alii, vel *οὐδὲ* pro *οὐ* vel *ποτιστόν* pro *πιστόν* scribentes, interpolaverunt. —

Codices recentiores ex libro Mediceo vetustiore esse ductos, egregio confirmatur exemplo, quod est Prom. 758 ff., ubi in omnibus editionibus legitur

1. *ΙΩ ἦ γάρ ποτ' ἔστιν ἐκπεσεῖν ἀρχῆς Δία;*
2. *ΠΡ ἥδοι' ἄν, οἶμαι, τήνδ' ἰδοῦσα, συμφοράν.*
3. *ΙΩ πῶς δ' οὐκ ἄν, ἥτις ἐκ Διὸς πάσχω κακῶς;*

ἥδοιμ' ἄν habent Med. G. Lips. Par. A. B. Ven. 3. Bess. *ἡδοίμαν* Cantabr. 1. 2. *ἡδοίμην ἄν* Par. D. Continui hi tres versus Ioni tribuuntur in Med. G. Sed emendavit hunc locum Dawesius, qui v. 2 Prometheo restituens scripsit *ἥδοι' ἄν*. Et recte v. 2 Prometheo est datus in Vit., qui *ἥδοιο ἄν* exhibet cum glossa *εὐφρανθείης*. Denique in Lips. quoque, quamquam habet *ἥδοιμ' ἄν* cum ceteris, tamen recte personarum notae sunt exaratae. In reliquis autem codicibus praeter Med. G. Lips. Vit., quomodo distributae sint personae, adnotare omisit Hermannus. Sed vel iis, quos attulit, comprobatur, illam, quam Vit. Lips. praebent discriptionem personarum, non coniectura esse factam, sed ex antiquo libro sumptam. Nam etiamsi in Vit. veram lectionem a recenti correctore ingeniose esse restitutam dicat quispiam, Lipsiensis tamen testimonio in quo lectio corrupta, personae vero recte distinctae sunt arguitur, non librarii ingenio sed archetypi auctoritate hoc factum esse; neque enim ullo modo est probabile, librarium Lips. cum reciperet *ἥδοιμ' ἄν*, tamen correcturum fuisse personarum distributionem. Sed fuit in archetypo *ἥδοιμ' ἄν* calami lapsu scriptum pro *ἥδοι' ἄν*, (aberravit fortasse librarias ad *οἶμαι*, quod est in eodem versu), personae autem recte in singulis versibus notatae. Librarius Med. cum non offenderet in activa forma verbi *ἥδοιμ'*, quam per *εὐφράνθην*, *εὐφρανθείην* recc. quoque scholiastae explicant, sed participium *ἰδοῦσα* non referri posse ad Prometheum intelligens, Ioni hunc versum assignavit. Integram archetypi lectionem tradidit librarius A.; quam cum G. eodem modo ac Med. interpolaret, Lips. non mutavit. Vit. denique ita usus est codicis A. lectione, ut ex ea *ἥδοιο* restitueret.

Prom. 911 f. habet Med.:

ἦ μὴν ἔτι Ζεύς, καίπερ αὐθάδης φρενῶν,
ἔσται ταπεινός·

αὐθάδης φρενῶν cum Med. exhibent Vit. Par. B. Mosc. 1 et ante correctionem G. *αὐθάδη φρονῶν* Lips. Par. C. E. F. et e correctione G. *γρ. αὐθάδη φρονῶν* Par B. denique *αὐθάδη φρένων* superscripto *φρονῶν* Cantabr. 2.

Librorum discrepantia quomodo sit orta optime intelligitur e Cantabr. lectione: *αὐθάδη φρενῶν*. Quod cum haberet archetypus quoque, factum est, ut alii corrigerent *αὐθάδης φρενῶν* alii *αὐθάδη φρονῶν*.

Potest dubitari, utra lectio sit praeoptanda, sed videtur Aeschylus ipse scripsisse *αὐθάδη φρονῶν* propterea, quia probabilius est, librarium archetypi, cum confunderet literas Є et O propter formarum similitudinem, exarasse *φρενῶν* pro *φρονῶν*, quam in vocabulo *αὐθάδης* omisisse *σ* literam.

Prom. 1030 in recc. plerisque recte legitur:

τοιοῦδε μόχθου τέρμα μή τι προσδόκα.

μή τοι pro *μή τι* praebent Med. Par. E. Vind. 1. 3. *τοι μή* sed correctum in *μή τι* Mosc. 1. *μὴ δὲ* Cantabr. 2 et adnotatum in Par. B. Habuit igitur archetypus *μὴ προσδόκα*, sed supra adscripto *τοι* ab interpolatore, legis Porsonianae nimirum rudi; *τοι* particula a librario Med. post *μή* in versum est recepta, in codice A. supra lineam pariter atque in archetypo adscripta est. Recc. vero unus ante, alii post *μή* particulam *τοι* in textum receperunt. Alii denique, negligentes adnotationem interlinearem codicis A., ut emendarent metrum, vel *δὲ* vel recte *τι* post *μή* inseruerunt.

Iam vero cum gravissima quae sunt in Prometheo exempla collegerim, ex Persis quoque et Septem locos eos afferam, quibus, cum in Med. poeta verba interpolationem experta sint, verae lectionis vestigia in recc. codibibus remanserint.

Pers. 238 cum plerisque codicibus Med. habet:

πότερα γὰρ τοξουλκὸς αἰχμὴ διὰ χερὸς αὐτοῖς πρέπει,

πρέπει praebent cum codice Med. G. et plerique, sed *πίπτει* est in Lips. Par. F. K. *πέμπει* in Vit., sed expuncto postea *μ*. Ven. B., qui mutato verborum ordine scripsit *πότερα γὰρ τοξουλκὸς αὐτοῖς αἰχμὴ διὰ χερὸς πρέπει* vitium vitio compensavit. Dindorfius cum Brunckio scripsit *χερῶν*, Kirchhoffius probavit Elmsleii coniecturam *χεροῖν*, sed recte mihi videtur Teuffelius ad hunc versum adnotasse, utrumque usitatius esse dictum, quam ut corruptela explicaretur. Emendasse autem videtur hunc locum Hermannus, qui ex scholiastae A. explicatione: *ἄρα, φησί, διὰ τῶν χειρῶν αὐτοῖς ἐμπρέπει ἡ βολὴ ἡ τοξική*; restituit *διὰ χερός σφιν ἐμπρέπει*. Verisimile enim est ad *σφιν* adscriptam fuisse glossam *αὐτοῖς*, quae cum in textum irrepsisset syllabam *ἐμ* sua sede deiceret. Atque vestigium verae lectionis servavit Vit., qui *πέμπει* habet. Perspicuum enim est verbum *πέμπει*, quod, cum

omnino sensu careat, interpolationem nequaquam redolet, per dittographiam ortum esse, sic quidem, ut librarius Vit., cum legeret in suo libro πρέπει (supra scr. εμ), per negligentiam literas εμ pro ρε reciperet. Quae si recte sunt exposita, colligi potest, librarium archetypi iam αὐτοῖς pro σφιν scripsisse, sed ἐμ praepositionem supra lineam retinuisse. Librarius Mediceus solum αὐτοῖς πρέπει descripsit, in cod. A. vero literae ἐμ quoque summa cum fide supra πρέπει erant adscriptae et latent etiamnunc in Vit. lectione.

Pers. 783 sic in Med. est scriptus: Ξέρξης δ' ἐμὸς παῖς νέος ἐὼν νέα φρονεῖ recc. vero omnes habent ὢν pro ἐών. Hunc versum corrupte esse in Med. traditum, vel primo obtutu quivis videt; nam participuum ἐών, usitatissimum Homero, a tragicis poëtis alienum est; deinde commune est omnibus codicibus illud vitium, quod in quinta senarii sede pyrrhichium pro iambo exhibent. Alii aliter sanare corruptelam studuerunt. Hermannus secutus est Meinekium, qui scripsit ἐνεὸς ὢν ἐνεὰ φρονεῖ. Sed non debebat abiici adiectivum νέος, quod cum Darius ipse senex de iuvenili Xerxis temeritate loquatur, optime hoc loco se habet. Praeterea est cogitandum, tragicos, in quinta senarii sede tribrachum admisisse, ea lege, ut in fine versus ponerent vocabulum quadrisyllabum, velut Eum. 41 ἄνδρα θεομυσῆ. Turnebus emendavit ὢν νέος, Monkius denique qui commutato ordine verborum φρονεῖ νέα scripsit perfecisse mihi videtur emendationem.

Sed quidquid statuemus de hoc loco, non videtur posse dubitari, quin habuerit archetypus νέος ὢν νέα φρονεῖ. Quod cum reciperet librarius A., Med. ut corrigeret metrum, homericam formam trimetro intulit.

Pers. 946 est in Med. G. Vit. aliis libris τάδε σ' ἐπανέρομαι; habet ἐπανερόμαι Lips. ἐπανέρωμαι Par. B. ἐπαναιρόμην Par. A. Latere vitium in verbo ἐπανέρομαι inde apparet, quod a stirpe *EP*, ad quam pertinet aoristus ἠρόμην, praesentis forma ἔρομαι nusquam est tradita, nisi quod εἴρομαι epica et ionica dialecto usurpatur. Quare omnes editores receperunt Wellaueri emendationem ἐπανερόμαν. Habuit autem archetypus recte ἐπανερόμαν: sed ν litera non satis accurate exarata, ut confundi posset cum litera ι. Et Med. et A. librarii legerunt ἐπανερόμαι, sed cum Med. accentum ad antepaenultimam retraheret, A. suo loco positum retinuit. Solus autem Lips. cum recc. fere omnes accentum transponerent, codicis A. lectionem non interpolavit. —

Sept. 157 ff. dicit chorus

ἰὼ φίλοι δαίμονες,
λυτήριοί τ' ἀμφιβάντες πόλιν, δείξαθ' ὡς
φιλοπόλεις, μέλεσθε θ' ἱερῶν δημίων,
μελόμενοι δ' ἀρήξατε.

μέλεσθε δ' ἱερῶν habent Med. Vit. Colb. 1 Mosc. 1. μέλεσθ' ἱερῶν Lips. μέλλεσθ' ἱερῶν G. Taur. μέλλεσθε θ' ἱερῶν Arund. Colb. 2. Erraverunt librarii, qui μέλλεσθε scripserunt pro μέλεσθε, sed θ' sine dubio melius est quam δ' codicis Medicei. Recte quidem se haberet δ' particula, si his verbis μέλεσθε ἱερῶν δημίων novi aliquid adderetur. Sed hae enunciationes δείξαθ' ὡς φιλοπόλεις et μέλεσθε ἱερῶν δημίων idem valent atque arctissime inter se iunguntur. Precatur enim chorus deos, ut cum curam agant sacrorum publicorum, praestent suum erga civitatem amorem. Quamobrem non potest dubitari, quin ab Aeschylo θ' scriptum sit. Archetypus autem cum haberet μέλεσθε ἱερῶν, θ' post μέλεσθε omisso, hiatum, qui omnes librarios offendebat, alii alio modo tollere studuerunt. Eliserunt ultimam verbi μέλεσθε vocalem, neglecta aequabilitate strophica Lips. G. Taur. Interpolavit Med. cum aliis nonnullis δ' particulam, recte vero θ' addiderunt Arund. Colb. 2.

Sept. 607 f. legitur in G. Vit. Par. E. H. Colb. 1. Vind. 1. 3. 4:

κλύοντες, θεοί, δικαίους λιτὰς
ἡμετέρας τελεῖθ'.

δικαίας exhibent Med. Vind. 2 et fortasse alii codices.

δικαίους λόγους ἡμετέρους Lips. Cantabr. 2 et adscriptum in Vind. 2. 3. in codice Med. ad δικαίας λιτὰς ἡμετέρας rec. manus supra adscripsit — ους λόγους — ους.

Femininam adiectivi δίκαιος formam a mascula non diversam apud Euripidem quoque invenimus Heracl. 902: ἔχεις ὁδόν τιν', ὦ πόλις, δίκαιον. Iph. T. 1202 δίκαιος ηὐσέβεια καὶ προμηθία. Certissimum igitur est, veram ipsius Aeschyli scripturam esse δικαίους, quam cum plerique reciperent, librarii Med. et Vind. 2, rariorem formam ignorantes δικαίας interpolaverunt. Itemque ab interpolatore profecta est varia lectio δικαίους λόγους ἡμετέρους, quae exstat in nonnullis codicibus.

Comparari potest cum hoc loco Prom. 356, ubi, cum plerique codices exhibeant λευρὸν γὰρ οἶμον, in solo Vit. est λευρὰν,

quod G. quoque videtur a prima manu habuisse. Vit. lectionem recepit Hermannus, allato loco Alcestis Euripideae, ubi v. 838 legitur: ὀρθὴν παρ᾽ οἶμον, ᾗ ᾽πὶ Λάρισσαν φέρει. Fuisse sane videtur in archetypo λευρὰν,· pro quo Med. et recc. plerique, cum offenderent in feminina forma, scripserunt λευρὸν. —

Sept. 614 habet Med.

οἵας γ᾽ ἀρᾶται καὶ κατεύχεται τύχας, οἵας γ᾽ praebent etiam G. Par. B. *οἵας* Lips. Par. C. Taur. Vind. 1. 3 et lemma scholii in G. *οἵα γ᾽* Vit. *οἷα γ᾽* Cantabr. 1. Vind. 4. *οἷα γὰρ* Vind. 2. *οἷα* Ald. Variae lectiones a Faehsio e Par. B. allatae *οἷα* et *οἷος ὁρᾶται*. In Med. literae *ας* in litura sunt scriptae a recentiore manu et mutatus accentus; literae *οἷ* a prima manu scriptae ostendunt, ante correctionem Med. habuisse *οἷα γ᾽ ἀρᾶται*. Recte scripsit Hermannus cum Lips. Par. C. ceteris *οἵας ἀρᾶται* nihil hic opus esse *γε* particula adnotans. Et cognosci potest ex illis codicibus, qui *οἷα γ᾽ ἀρᾶται* exhibent, quamobrem *γε* particula ab interpolatore sit addita. Archetypus enim habebat *οἷα ἀρᾶται*, quod remansit in editione Aldina, itemque quod Par. B. (si recte Hermannum intelligo) habet in margine *οἷα ὁρᾶται*, ad ipsum archetypum videtur esse referendum. Sed archetypi iam corrector hiatus tollendi causa ad *οἷα* supra adscripsit *γ᾽*, quod a librario Med. in verborum continuitatem est receptum, a librario A., sicut in archetypo, supra lineam adscriptum. Ex codice A. recentium alii *οἷα ἀρᾶται*, alii *οἷα γ᾽ ἀρᾶται* descripserunt. Nonnulli denique librarii recte *οἵας* restituerunt, quod postea a rec. manu in Med. est correctum. —

Sed haec hactenus de interpolationibus, quibus, cum integram archetypi lectionem ostendant codices recentiores, librarius codicis Medicei poetae verba depravavit.

Venio ad aliud argumentandi genus. Potest enim nonnunquam coniici e librorum discrepantia, fuisse in archetypo aut supra ipsa vocabula aut in margine adnotatas varias lectiones aut interpretationes, quas cum Med. in textum reciperet, cod. A. vera Aeschyli verba tradidit.

Prom. v. 225, Prometheus cum dixisset, sua potissimum opera Saturnum deum victum esse a Iove, sic pergit:

τοιάδ᾽ ἐξ ἐμοῦ
ὁ τῶν θεῶν τύραννος ὠφελημένος
κακαῖσι τιμαῖς ταῖσδε μ᾽ ἐξημείψατο.

Sed τιμαῖς soli G. Mosc. 1 et in margine Par. B. exhibent, in ceteris codicibus omnibus legitur ποιναῖς. Apparet ferri posse hoc loco ποιναῖς, sed eo minus videtur verisimile, pro eo ab interpolatore positum esse τιμαῖς, quod multo gravius dictum receptum est a Hermanno, qui haec affert ex Hesychii lexico: τιμή, δόξα, ποτὲ δὲ καὶ τιμωρία, ἢ ἀντέκτισις ἡ κυρία. Optime igitur Prometheus, odio atque ira in Iovem perculsus, dicit, illud turpissimum sibi tributum esse praemium, ut in saxo affigeretur. Quamobrem probabile est, archetypum habuisse τιμαῖς, adscripto interpretamento ποιναῖς. Quod cum plerique in versum reciperent, G. Mosc. 1. Par. B. insolentiorem quidem sed acerbiorem et graviorem retinuerunt lectionem.

Pers. 125 ff. habet Med.

πᾶς γὰρ ἱππηλάτης
καὶ πεδοστιβὴς λεὼς
σμῆνος ὡς ἐκλέλοιπεν μέλισ-
σα σὺν ὀρχάμῳ στρατοῦ

μέλισσα cum codice Mediceo exhibet Par. L. μελισσάων G. Ven. B. et adscripto μελισσῶν Par B. μελισσῶν Vit. Lips. μελισσᾶν Cantabr. 1. Sed priusquam lectionum varietatem perpendamus, quid sit ab ipso Aeschylo scriptum cognoscendum erit.

Solus enim Kirchhoffius cum ceteri editores μελισσᾶν restituere non dubitarent, μέλισσαι, quod propius accederet ad codicis Med. lectionem, recepit e scholiastae Medicei adnotatione: καταλελοίπασι τὴν πόλιν ἀκολουθοῦντες Ξέρξῃ ὡς μέλισσαι τὸ σμῆνος.

Posita est scripturae diversitas in duplici vocabuli σμῆνος notione. Qui μελισσᾶν scribunt, σμῆνος intelligunt examen apum, qui μέλισσαι alvearium; μελισσᾶν si legitur, ἐκλέλοιπεν intransitiva significatione est capiendum pro οἴχεται, cf. Sept. 202 ἀλλ' οὖν θεοὺς | τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεος ἐκλείπειν λόγος. Optime ingens peditum et equitum multitudo comparatur cum examine, et princeps expeditionis tacite cum rege apum. Si μέλισσαι cum Kirchhoffio legendum esse statuimus, comparatur patria, quam reliquerunt Persae cum alveario, ex quo avolant apes. Quod etiamsi non per se esset languidum, tamen structura paulo impeditior quominus sic scripsisse Aeschylum iudicemus, dissuadet. Nam in hac sententia πᾶς λεὼς ἐκλέλοιπεν ὡς σμῆνος μέλισσαι aut verbum ἐκλέλοιπεν altero loco intransitiva significatione est intelligendum, altero transitiva, quod ferri non potest, nisi subaudiendum sit obiectum πόλιν vel simile quid quod non minus

videtur esse insolens. Scholion denique Mediceum quo maxime nititur Kirchhoffii coniectura, nullam habet auctoritatem, quia mutilatum est ex illo scholio, quod recc. habent: *καταλελοίπασιν τὴν πόλιν ἀκολουθοῦντες τῷ Ξέρξῃ ὥσπερ τὸ σμῆνος τῶν μελισσῶν ἕπεται τῷ ἀρχηγῷ αὐτῶν.* Nam haec verba *ἀκολουθοῦντες τῷ Ξέρξῃ*, quae in Mediceo nihil habent quo referantur, in schol. rec. optime pertinent ad ea quae sequuntur: *ὥσπερ* etc. Quamobrem hoc quoque exemplo probatur, quod ostendit Heimsoethius ea commentatione, quae inscribitur „de ratione quae intercedat inter Aeschyli scholia Medicea et scholiastam A.“ scholia recc. non esse amplificata e scholiis Mediceis, sed fluxisse e fonte antiquiore, eoque contracto et excerpto a librario Mediceo.

Sed redeamus ad varias codicum lectiones; quaeritur enim, unde codicis Medicei corruptela et ceterorum quoque codicum derivata sit discrepantia. Mihi quidem persuasum est, fuisse in archetypo *μελισσῶν*, supra adscripto *α*; potest enim cogitari, aut librarium, cum *μελισσῶν* vitiose per errorem scripsisset, statim e libro, quo uteretur, mendum correxisse; aut postea a grammatico quodam, ut restitueret formam doricam, *α* inter lineas esse additum. Quare, si *μελι$\overset{α}{σ}$σῶν* exhibuisse archetypum statuimus, facile omnis lectionis varietas potest explicari. Librarius enim Mediceus sive per negligentiam, sive quod *σμῆνος* intelligebat alvearium scripsit *μέλισσα*, ceteri *μελισσάων*, *μελισσῶν*, *μελισσᾶν* receperunt.

Pers. 150 ff. vulgo traditur:

ἀλλ' ἥδε θεῶν ἴσον ὀφθαλμοῖς
φάος ὁρμᾶται μήτηρ βασιλέως,
βασίλεια δ' ἐμή, προσπίτνω.

Med. Par. L. N. Colb. 1 autem habent post *προσπίτνω* explicationem additam *προσκυνῶ*, quod ceteri omnes recte omiserunt, nisi quod in Vit. Lips. glossema *προσκυνῶ* ad *προσπίτνω* est supra adscriptum. Manifestum est in archetypo adscriptum fuisse interpretamentum *προσκυνῶ*; glossema alii in versum receperunt, alii omiserunt, alii fideliter inter lineas retinuerunt. Conclusit iam Wecklei̇nius (Studien zu Aeschylus p. 60) ex hoc loco, codices recc. non e Mediceo sed e libro vetustiore eoque omnium archetypo esse derivatos, in quo hoc glossema nondum in verborum continuitatem irrepsisset. Cui opposuit Sorofius, glossam, quam supra *προσπίτνω* exhiberent Vit. Lips., non ex antiquo libro esse ductam, sed aut e lexico aliquo sumptam, aut ex ipso

codice Mediceo sicut alias scripturas multas, restitutam, cum ex uno codice (A.) omnia apographa derivata sint, in hoc autem glossam illam eiectam fuisse ceterorum librorum consensu comprobetur.

Quod ille in codice A. eiectam fuisse glossam dicit, nihili est; nam variae recc. lectiones προσπίτνω (superscr. προσκυνῶ), προσπίτνω προσκυνῶ, προσπίτνω gravissime probant, codicem A. habuisse προσπίτνω cum glossa προσκυνῶ.

Quare eo deducta est quaestio, ut diiudicemus, utrum codicis A. lectio e codice Mediceo sit hausta, an ex eo libro, unde Mediceus est descriptus. Mihi vero hoc quoque exemplo videtur confirmari, quod aliis argumentis me ostendisse puto, codices A. et Mediceum ad unum archetypum esse referendos. Nam si e Mediceo hausta esset codicis A. lectio, librarius aut omisisset προσκυνῶ aut, quod multo probabilius est, utrumque verbum in versu retinuisset. Sed tauto consilio ac ratione eum egisse, ut e codicis Medicei corruptela archetypi lectionem, quae ansam peccandi librario Mediceo dedisset restitueret, vix credi potest.

Iam vero quoniam agitur de glossis in versum receptis, non praetermittendus est Sept. v. 925, de quo Sorofius quoque disputavit p. 14.

Est in codice Mediceo

ἰὼ πολλοῖς ἐπανθήσαντες
πόνοισι γενεὰν πόνοισί γε δόμους

ad ultimam syllabam vocabuli *δόμους* supra adscripto *οι* a manu recentiore. Pro *ἐπανθήσαντες*, quod omnes habent libri, recte cum Bothio scripserunt editores *ἐπανθίσαντες*; et eiiciendum esse *πόνοισί γε δόμους*, docet versus antistrophicus, qui est 913 *ζοὰ φονορύτῳ*. Ex recentioribus solus Par. L. praebet *πόνοισι γενεὰν πόνοισι τε δόμοι*. Ceteri omnes omittunt *πόνοισι γενεάν*, quod sine dubio a poëta scriptum est; et *πόνοισί γε δόμους* exhibent Par. E. Vind. 2. 4. *δόμου* adscripto *ους* Vit. *γε δόμοις* Ox. *τε δόμοι* Vind. 1. 3, *γε δόμοι* ceteri. Apertum est, fuisse in eo codice, e quo recc. derivati sunt, *πονοισί γε δόμους*; nam *δόμοι* profectum est ab interpolatore, qui, cum legeret verbum intransitivum *ἐπανθήσαντες*, non accusativum, sed nominativum postulari putaret. Ostendere vult hoc exemplo Sorofius „nullum alium codicem antiquum grammaticum Byzantinum ad Mediceum corrigendum adhibuisse, sed suo ipsius arbitrio atque iudicio mutasse,

ubi ei vitium aliquod in verbis cod. Laur. inesse videretur". Sed nihil opus est, ut, quod veram lectionem recc. omiserunt, haec e codice Mediceo esse descripta arbitremur; potest quidem fingi, jam archetypum habuisse glossema *πόνοισί γε δόμους*; ut ex hoc vitiosa lectio in codicem A. manaret; sed mihi quidem multo videtur esse probabilius, fuisse in archetypo *πόνοισι γενεὰν* (δόμους written above γενεὰν); nam ita demum intelligitur, cur ante *δόμους* addita sit particula *γε*, quae hoc loco plane caret sensu. Quamquam Medicei lectione quid faciam, vix discernam; neque enim credibile est in eo codice, ex quo derivatus est Med. ad *πόνοισι γενεάν* adscriptum fuisse *πόνοισί γε δόμους*, sed, ut modo demonstravi, solum *δόμους*. Quare nescio an librarius Mediceus cum ex archetypo recte *πόνοισι γενεάν* descripsisset, variam lectionem *πόνοισί γε δόμους* ex alio archetypi apographo addiderit. Parisini L. denique lectio mihi quoque, ut Sorofio, posteriore tempore petita esse e cod. Mediceo videtur.

Pers. 714 Atossa loquitur:

πάντα γάρ, Δαρεῖ', ἀκούσει μῦθον ἐν βραχεῖ λόγῳ.
διαπεπόρθηται τὰ Περσῶν πράγμαθ', ὡς εἰπεῖν ἔπος.

λόγῳ recte habent Ven. A. Ox. Par. C. et adscriptum Par. B. *χρόνῳ* Med. G. Vit. Lips. Par. B. Non potest dubitari, quin melius et exquisitius sit *λόγῳ*: dicit regina, totam rem (est enim *μῦθος* hoc loco narrationis argumentum) se perbrevi narratione complexuram esse; uno enim, qui sequitur, versu omnis calamitatis immanitas et atrocitas comprehenditur. Grammaticus autem, qui offenderet in vocabulo *λόγῳ*, quod idem significare ac *μῦθος* putaret, adscripsit in archetypo *χρόνῳ*, quod librarius Mediceus et multi alii receperunt. Simillimus est huic loco Prom. 878:

ὅπως δὲ χὤπῃ, ταῦτα δεῖ μακροῦ λόγου | εἰπεῖν.

ubi pro *λόγου* G. Lips. alii habent *χρόνου*, quod ab eodem interpolatore videtur esse profectum, qui Pers. 714 corrigere conatus est.

Pers. 796, Dareo monenti, ne iterum expeditio in Graecos pararetur, quia in exiguis hostium finibus ingens Persarum multitudo fame esset interitura, sic obloquitur chorus: *ἀλλ' εὐσταλῆ τοι λεκτὸν ἀροῦμεν στόλον*, quod cum nihil habeat offensionis, omnes editores receperunt; et videtur referenda esse ad hunc locum Hesychii explicatio: *εὐσταλής, καλῶς ἐστολισμένος*. Magnopere vero codices in his verbis tradendis fluctuant. Exhibent recte *εὐσταλῆ τοι* Ven. B. Ox. Ask. A. Par. B. *εὐτελῆ*, *τ* in *στ* mutato, deinde *τοι* Med. *εὐστελῆ τοι* ad *εὐστελῆ* supra

adscripto *α* Par. L. *εὐσταλῆ τε* G. Cantabr. 1. 2. Par. C. Colb. 1. 2. *εὐστελῆ τε* Ven. A. *εὐδαλῆ τε* Lips. *εὐσταλῆ καὶ.* Mosc. Par. A. *εὐτελῆ τοι*, a correctore mutatum in *εὐσταλῆ* et supra scriptum *γρ. εὐστελῆ* Vit.

Omittenda est *εὐδαλῆ* cod. Lipsiensis lectio errore recentioris librarii orta et interpolata Par. A. Mosc. lectio, a grammatico aliquo excogitata, qui adiectiva *εὐσταλῆ* et *λεκτὸν* copula *καί* iungenda esse putaret. Ceterorum autem codicum variae lectiones *εὐσταλῆ τοι*, *εὐστελῆ τοι*, *εὐτελῆ τοι*, *εὐσταλῆ τε* omnes redeunt ad archetypum, qui habuit recte *εὐσταλῆ* sed *τε* supra adscripto ab interpolatore stupido, qui, cum *εὐσταλής* esse vocabulum purum et Graecum ignoraret, seu *εὐστελῆ*, quod sibi fingeret, seu *εὐτελῆ* vellet corrigere. Librarius autem Mediceus quid hac dittographia faceret, dubitans, primum scripsit *εὐτελῆ*, deinde *σ* addidit; eodemque modo recentiores nonnulli peccarunt, sed plerique, cum vocabulum *εὐσταλῆ* non mutarent, *τε* literas ab interpolatore additas aut recte neglexerunt aut pro *τοι* in versum receperunt. Obstare videtur huic explicationi codicis Ven. A. lectio, qui habet *εὐστελῆ* deinde autem *τε* pro *τοι*; sed hoc *τε* haud dubie depromptum est e recentiore libro, in quo scriptum erat *εὐσταλῆ τε*. —

His omnibus locis, cum pro depravata codicis Medicei lectione veram Aeschyli manum exhibeant recc., Sept. v. 134 et librarius Mediceus et recc. varium in modum peccarunt, sed ita, ut possit perspici, recentiorum corruptelam non e codice Mediceo sed ex archetypo esse petitam. Legitur enim in omnibus codd. recc. *τόξον εὖ πυκάζον*, Med. a prima manu habuerat *τόξον πτυκάζον*, sed manus altera ante *τυκάζον* posuit praepositionem *ἐν* in litura literae *π*. Veram lectionem *εὐτυκάζον* restituit L. Dindorfius ex Hesychii glossa: *εὐτυκάζον· εὔτυκον ἔχε, ἕτοιμον.* Iam vero apparet, fuisse in eo libro, unde Mediceus manavit, *εὐτυκάζον*, ad *τ* supra adscripto *π* et priore *υ* non satis accurate exarato, ut posset confundi cum *ν*. Librarius igitur Mediceus *π* pro *εὐ* posuit, corrector vero in loco literae *π* restituit *ἐν* quod esse in archetypo ei videbatur. Alter autem librarius, qui confecit codicem A. *π* pro *τ* recepto scripsit *εὐπυκάζον*. —

Aliud est exemplum Prom. 356, ex quo, cum vocabulum suspectum alio loco in Mediceo sit positum, alio in codd. recc., concludi possit, hoc ipsum vocabulum in archetypo ab interpolatore inter versus esse additum itaque effectum, ut incerta

sede in codicibus vagaretur. Tradunt hunc versum Med. G. Vit. Lips. 1 vitiose ita: *Τυφῶνα θοῦρον, πᾶσιν ὃς ἀντέστη θεοῖς.* Nec minus est vitiosum, quod Lips. 2. Aug. Par. E. Bess. exhibent: *ὃς πᾶσιν ἀντέστη θεοῖς.* Sed de industria ab his transpositum esse pronomen, credi nequit, quia ne hoc quidem verborum ordine efficitur senarius integer. Statuendum igitur est, fuisse in archetypo mendose scriptum *πᾶσιν ἀντέστη θεοῖς.* Quod cum repugnaret legi syntacticae, grammaticus supra *πᾶσιν* adscripsit *ὃς*, quod alii ante alii post *πᾶσιν* positum receperunt. Sed probabiliter emendavit hunc locum Hermannus, qui scripsit *πᾶσι δ' ἀντέστη θεοῖς.* —

Integer denique versus, qui videtur esse spurius, inverso ordine legitur Sept. 497 ff., ubi habet Med.

1. *πρὸς τῶν κρατούντων δ' ἐσμέν, οἱ δ' ἡσσωμένων,*
2. *εἰ Ζεύς γε Τυφῶ καρτερώτερος μάχῃ·*
3. *Ὑπερβίῳ τε πρὸς λόγον τοῦ σήματος*
4. *εἰκὸς γε πρᾶξιν ἄνδρας ὧδ' ἀντιστάτας*
5. *σωτὴρ γένοιτ' ἂν Ζεὺς ἐπ' ἀσπίδος τυχών.*

v. 4. pro *εἰκός γε πρᾶξιν* manus recentior *εἰκὸς δὲ πράξειν* correxit. Versibus 2. 3. 4. 5 adscripsit manus rec. saeculi XIV literas *β γ α δ*, quibus v. 4 post 1 reponendum esse indicaretur; et legitur vulgo in recc. codicibus versus *εἰκὸς δὲ* etc. post v. 1; nisi quod Par. A. B. eum post 2 posuerunt.

Ostendit hoc exemplo Weckleinius (Studien zu Aeschylus p. 60), Par. A. et Mediceum ex eodem archetypo esse derivatos, in quo versus 4 (quem suspectum esse dicit) in margine adscriptus fuisset. Sed mirari licet, quod non vidit ille v. d. ceteros quoque codices recc. ad eundem archetypum esse referendos, ex hoc loco posse concludi. Dicit enim, eum versuum ordinem, qui in codice Mediceo literis *β γ α δ* adscriptis indicaretur, inde in plerosque recc. codices transiisse. Sed longe aliter se res habet: nam literas ad mutandum versuum ordinem saeculo XIV in codice Mediceo adscriptas esse, modo dictum est. Codicum vero recentiorum nonnullos velut Cantabr. 1. Colb. 2 esse saeculi XIII viri docti consentiunt, ut possit pro explorato haberi, ex his in cod. Mediceum inversum ordinem versuum esse translatum. Quamobrem verisimile est v. 4 ex archetypo, ubi fuerit in margine adscriptus, a. recc. aut ante aut post v. 2 in textum esse receptum.

Sorofius vero p. 36, ubi refellere Weckleinium studet, affirmat, facillime intelligi posse, quamobrem librarius codicis Par. A. ordinem versuum mutaverit; in communi enim codicum recc. archetypo (quem e Med. descriptum esse contendit) versum 4 exaratum fuisse inter v. 1 et 2. Librarium autem codicis Par. A., cum versum 2 arctissime cum v. 1 cohaerere videret, versum *εἰκὸς δὲ* etc. post v. 2 collocasse.

Sed nihil habuit librarius Par. A., cur hunc versum transponeret, qui non magis ferri possit post quam ante v. 2. Quamobrem, cum non consulto librarius Par. A. commutasse ordinem videatur, Sorofius non redarguit Weckleinium, qui et Medicei et Par. A. lectiones ad archetypum referendas esse iudicat, in quo versus 4 in margine fuerit additus.

Deinde, quod gravissimum est, non explicavit Sorofius, quomodo factum sit, ut ceteri recc. codd. omnes diversum a Med. Par. A. B. versuum ordinem servarent. Paulo probabilius quidem ille contendisset, librarium codicis A., cum e Mediceo haec describeret, versum 4, quem spurium esse putaret, non in verba Aeschyli recepisse, sed in margine posuisse, itaque factum esse, ut recentiores alii ante alii post v. 2 eum insererent. Sed tam prudenter librarium illius aetatis egisse, ut censuram faceret de fide eius codicis, quo utebatur, vix mihi persuadeam. Quamobrem debet statui, hunc versum, cum in margine archetypi esset scriptus, ab aliis alio loco poëtae verbis esse insertum. Atque Weckleinio, qui eum habet pro explicatione grammatici ita assentior, ut hanc explicationem non ad *πρὸς λόγον τοῦ σήματος*, quod ille vult, sed ad v. 1. 2 pertinere arbitrer.

Iam vero, quoniam satis disseruisse mihi videor de illa lectionum varietate, quae a coniecturis vel interpretationibus in margine archetypi additis ducta sit, reliquum est, ut eos locos colligam, qui in codice Mediceo calami lapsu depravati sint, ita tamen, ut probabile sit, recc. qui veram lectionem exhibeant, hanc non corrigendo esse nanctos sed ex antiquo libro hausisse.

Prom. 20 est in codice Mediceo

ἄκοντα σ᾽ ἄκων δυσλύτοις χαλκεύμασι
προσπασσαλεύσω τῷδ᾽ ἀπανθρώπῳ τόπῳ.

pro *τόπῳ* omnes recc. habent *πάγῳ*, quod melius et elegantius videri quam *τόπῳ* nemo negabit. Sed a recc. interpolatum esse *πάγῳ* propterea non est verisimile, quia acquiescere in Medicei quoque lectione poterant, nec quidquam erat causae, cur

eam mutarent. Probabilius igitur videtur esse, librarium Mediceum antecedente *ἀπανθρώπῳ* in errorem inductum scripsisse *τόπῳ* pro *πάγῳ*; ex archetypo autem veram Aeschyli manum in omnes recc. codd. transiisse. —

Prom. 140 ff. legitur vulgo

[πατρὸς Ὠκεανοῦ] δέρχθητ' ἐσίδεσθ'
οἵῳ δεσμῷ προσπορπατὸς
τῆσδε φάραγγος σκοπέλοις ἐν ἄκροις
φρουρὰν ἄζηλον ὀχήσω

pro *προσπορπατὸς* Med. habet *πρὸς πατρὸς* adscripto a manu saec. XV *προσπορπατὸς*; *πρὸσ πα τος* post *α* erasa *ρ* litera ut videtur Hermanno et adscripto ab alia manu *προ* (?) G. *προσπορπατὸς* superscripto *γρ. προσπαρτὸς* Lips.

Codici Mediceo illatum est mendum a librario, cui vocabulum *πατρός*, quod paulo ante exaraverat, obversaretur. Quaeritur igitur, utrum codicis Lipsiensis an ceterorum codicum recentiorum lectio sit praeferenda; sententiae quidem satisfacit et *προσπαρτός* et *προσπορπατός*; et recepit Dindorfius illud, propterea nimirum, quia propius quam *προσπορπατὸς* accedit ad lectionem codicis Medicei. Sed non teneri potest codicis Lipsiensis lectio nisi addito *ἐγώ* quod supplevit Dindorfius, ut efficeret tetrapodiam anapaesticam; quamobrem sine dubio ab Aeschylo *προσπορπατός* scriptum est. Atque equidem nec tantam artis metricae scientiam fuisse interpolatori arbitror, ut *προσπαρτός*, quod per se optimam praeberet sententiam, emendandi metri causa mutaret in *προσπορπατός*; nec tam ingeniosam emendationem tribuam correctori Byzantino, ut, cum legeret in codice Mediceo *πρὸς πατρός*, suo usus iudicio, restitueret *προσπορπατός*; multoque probabilius est utramque codicum recentiorum lectionem ex archetypo sumptam esse. Facillime enim potest cogitari, librarium archetypi literas *πορ* ante *παρτος* propter similitudinem praecedentis syllabae *προς* omisisse et supra lineam addidisse. Unde cum plerique recc. recte *προσπορπατὸς* reciperent, varia cod. Lips. lectio ita videtur orta esse, ut librarius adscriptas literas *πορ* non ante *πατος* sed in loco syllabae *πα* ponendas esse putaret; sed *προσπορτός* vocabulum non esse Graecum intelligens, statim correxit *προσπαρτός*, quod non difficile fuit invenire. Quae si recte sunt disputata, codicis G. quoque, qui *πρὸς πατος* exhibet, unde profecta sit corruptela, intelligitur. Potest enim cogitari, librarium codicis G. cum legeret in suo codice *προσπατός* (superscripto *πορ*), quod

fuisse in archetypo apparet, omissis πορ literis πρὸς πατος tantum exarasse. Dicit quidem Hermannus in codice G., inter α et τος erasam esse ρ literam videri; nec vero certi quidquam de ea re constat.

Prom. 155 habet Mediceus cum paucis aliis codicibus δεσμοῖς ἀλύτοις ἀγρίοις πελάσας. Ceteri omnes ἀγρίως exhibent, quod Blomfieldum secutus Hermannus recepit, Aeschylum si scripsisset ἀγρίοις, positurum fuisse ἀλύτοις δεσμοῖς ἀγρίοις recte adnotans. Perfacile potuit fieri, ut librarius Med. calami vitio scriberet ἀγρίοις pro ἀγρίως; sed non verisimile est, recc., si e codice Mediceo essent descripti, emendaturos fuisse ἀγρίως.

Prom. 383 est in codice Mediceo

ἐν τῷ προθυμεῖσθαι δὲ καὶ τολμᾶν τίνα
ὁρᾷς ἐνοῦσαν ζημίαν;

προθυμεῖσθαι cum Med. exhibent G. Lips. 1 alii. προμηθεῖσθαι Lips. 2. Aug. alii. Multo elegantius et exquisitius hoc loco se habet προμηθεῖσθαι quam προθυμεῖσθαι, quia Promethei nomen in verbo προμηθεῖσθαι auditur; atque scholiastam Mediceum quoque, qui explicat: ἐν τῷ προνοεῖσθαι καὶ πειρᾶσθαι τὸν Δία πείθειν, legisse in codice suo προμηθεῖσθαι potest colligi. Nam scholiastae interpretatio προνοεῖσθαι neque ad τολμᾶν quadrat neque ad προθυμεῖσθαι, optime vero ad προμηθεῖσθαι. Calami lapsu igitur in codice Mediceo προθυμεῖσθαι est scriptum pro προμηθεῖσθαι, quod ex archetypo recentiores receperunt. Codicis Medicei autem lectio et hoc loco et eo, de quo modo dixi, postea in recc. nonnullos codices est translata.

Prom. 668 dicit Io.

κεἰ μὴ θέλοι, πυρωπὸν ἐκ Διὸς μολεῖν
κεραυνόν,

pro πυρωπὸν, quod omnes recc. praebent, solus Mediceus habet πυρωτὸν. Praestat πυρωπόν, quod omnes editores probarunt, sed ferri Medicei quoque lectio potest; nec fuit recentioribus, cur eam mutarent. Manifestum igitur est, ex archetypo, in quo scriptum esset πυρωπὸν, veram lectionem a librario codicis A. esse sumptam.

Sept. 1043 denique, cum pro vulgata lectione: τί πάθω; τί δὲ δρῶ; τί δὲ μήσωμαι; solus Mediceus exhibeat τί δ᾽ ἐρῶ, aut ex antiquo libro hausisse recc. aut egregiam emendationem fecisse grammaticum Byzantinum putandum est. Propius autem illud accedit ad veritatem.

Hisce omnibus locis, cum meliores quam Medicus codices recentiores praebeant lectiones, non coniectando inventas, apparet codicem A. derivatum esse e fonte libro Mediceo vetustiore. Longum est, omnes locos enumerare, ubi praestantiorem Mediceo lectionem recc. praebeant, cum locupletissimum indicem emendationum a recc. factarum Dindorfius et Sorofius composuerint. Potest quidem cogitari modo vitia, quae ex archetypo librarius codicis Medicei reciperet, coniectura a recc. esse sanata, modo veram lectionem, cum corruptela exstaret in codice Mediceo ex archetypo esse petitam. —

Atque ut in extrema commentationis parte breviter colligam, quae disserui de codicum recentiorum auctoritate: illa exempla, quibus demonstratur, veram Aeschyli manum, depravatam in codice Mediceo, a librario codicis A. ex archetypo esse haustam, vereor ut persuadeant adversariis. Nam lectiones recentiorum, quas commemoravi a codice Mediceo diversas, aut non recipiunt illi, aut ingeniose correctas esse e mendis codicis Medicei dicunt. Kirchhoffius quidem Prom. v. 20. 383 aspernatur codicum recentionum lectiones πάγῳ et προμηθεῖσθαι; et Dindorfius, quamvis incuset correctoris Byzantini stupiditatem, tamen ab eo e scholio (de quo p. 30 est disputatum) egregia sagacitate restitutam esse Aeschyli manum προμηθεῖσθαι concedit. Sed quidquid de his locis censetur, certissima sunt ea testimonia, quibus ostendi, corruptelas archetypi, cum interpolandi ausam praeberent librario Mediceo, integras a recentioribus esse receptas. Quae cum ita sint, assentiendum est Heimsoethio et Weckleinio, qui iam ante aliquot annos codices recc. esse derivatos e libro codice Mediceo vetustiore posuerunt. Nec tamen frustra haec esse a me disputata opinor, quia illi vv. d. d. non tam exhauserunt hanc totam quaestionem, quam attigerunt admodum paucis allatis locis, quos cum silentio praeterirent novissimi editores, refutasse Sorofius sibi est visus.

Codicis A. lectiones saepius, ut ferebant futilia atque inania illius aetatis studia, obscuratas esse recentiorum interpolationibus coniici potest, interdum, quid habuerit A., e paucitate librorum, quorum lectiones Hermannus attulit, non potest dispici; quare nescio an multo maior fuisset numerus illorum locorum, quos integriores, quam Mediceus codex A. traderet, si accuratius omnes codices recentiores essent collati. Non sufficere apparatum criticum Hermanni, ostenderunt quattuor illae lectiones variae ab Heimsoethio e codice Vindobonensi aliquo prolatae, quarum illa saltem de qua p. 7 fusius est disputatum (Pers. 305 *κυκώμενοι* pro *νικώμενοι*), debebat adnotari.

Fuerunt, qui illuderent Hermanni industriam et diligentiam, qui molestam variarum lectionum multitudinem in commentario coacervasset. Minus operosum, credo, est solo codice Med. uti in arte critica excercenda, quam ceterorum quoque codicum observare testimonia. Sed qui ratione ac via emendare velit Aeschyli Prom. Sept. Pers., is non debebit negligere codices recentiores. Qui si accuratius erunt collati, nescio an possint describi in genera, ita, ut omissis illis, in quibus gliscunt posteriores aetatis interpolationes, eorum solum, qui proxime absunt ab archetypo, ratio sit habenda.